DE SCRIPTORIBVS HIBERNIÆ.

LIBRI DVO.

Prior continet Scriptores, in Hiberniâ natos.

Posterior, Scriptores alios, qui in Hiberniâ munera aliqua obierunt.

Authore
IACOBO WARÆO *eq. aur.*

DVBLINII,
Ex typographiâ Societatis Bibliopolarum.
MDCXXXIX.

EN·DI
EV·EST
TOVT

Honoratiſſimo Illuſtriſſimoq;

DOMINO D. THOMÆ

Vicecomiti WENTWORTH,

Hiberniæ Proregi, Concilij Regij in borealibus Angliæ partibus Præſidi, ac Regiæ Majeſtati à Conſilijs ſecretioribus.

QUæ de Scriptoribus hujus inſulæ congeſſi, Honoratiſſime Prorex, hîc Amplitudini tuæ humillimè offero; at non alio fine, quàm ut hoc Gratitudinis Symbolo, animum Dominationi tuæ devinctiſſimum, agnoſcam. In laudum tuarum campum excurrere, vetat (ſcio) innata tua modeſtia. Reticeo igitur. Quod ad opus ipſum attinet, Meſſem continet Scriptorum Hi-

 berniæ,

berniæ, sed (quod me angit) non admodùm uberem: Nec mirum. Nam perijsse liquet plurimorum notitiam, unà cum multò maximâ operum eorum parte, cùm Hibernia nostra seditionibus intestinis oppressa, quasi miseriarum diluvio inundata fuerit. E reliquijs tamen, gustus aliquis percipi poterit eruditionis cujusq; seculi, ab aurorâ Christianæ fidei in hâc insulâ, ad nostra usq; tempora. Quod potui hìc præstiti, ubi verò nubes aliqua me obduxit, Errori (ut spero) ignoscet Clementia tua. Deus Opt. Max. Amplitudinem tuam diutissimè servet incolumem.

Dominationi Tuæ

humillimè Devotus,

Jacobus Waræus.

Ad Lectorem.

ANte aliquot annos mihi animus fuit, catalogum colligere Scriptorum Hiberniæ, qui ante initium hujus ſeculi claruerunt: ſed alijs diſtentus negotijs, propoſitum diſtuli. Tempus tandem nactus opportunum, æſtivos menſes anni 1636. (in ſeceſſu meo) indagini dedi, opuſque poſteà horis ſucciſivis abſolvi. Ut verò hanc, pro virili, ornarem Spartam, præter libros impreſſos, multos etiam veteres codices manuſcriptos, qui ad rem facerent, non indiligenter evolvi. Ex his (ut de MSS. Muſæi mei taceam) plurimos ſuppeditavit mihi Illuſtriſſimus Præſul Iacobus Uſſerius archiepiſcopus Armachanus, non paucos etiam è bibliothecâ ſuâ D. Robertus Cottonus eq. auratus & Baronettus, mihi, dum viveret, amiciſſimus, unde adverſaria mea, anno 1629. (dum in Anglia eſſem) ditavi. Aliquot Scriptores conſultò hîc prætermiſi, quòd operæpretium non putaverim minutos & obſcuros in catalogum redigere; Alios, quod vel de patriâ eorum, vel de operibus ijs aſcriptis, multùm dubitaverim; Alioſque invitè, quod eorum notitia ad me nondùm pervenerit. Ex hoc tamen quocunque apparatu, conſtabit Hiberniam per ſecula aliquot, poſt adventum S. Patricij, viris doctiſſimis floruiſſe,

&

& ob multitudinem Sanctorum virorum, tam illic degentium, quàm in partes transmarinas, ad animas Christo lucrandas, discedentium, meritò *Insulam Sanctorum* dictam. Constabit etiam per bella intestina, & Danorum Norwegorumq; tempestates, literas ibi, quasi intermortuas, diù jacuisse, ac insulâ tandem felicitèr in regis nostri Henrici secundi potestatem concessâ, Musarum fontes iterùm apertos.

Imprimantur hi de Scriptoribus Hiberniæ Libri duo, quos à clarissimo viro D. Iacobo Waræo Equite Aurato magno studio & judicio scriptos perlegi.

ED. PARRY *Reverendissimi in Christo Patris Archiepiscopi Dublin. Capellanus.*

April. 27. 1639.

De Scriptoribus

HIBERNIÆ.

Liber primus.

Cap. I.

Scriptores ſeculi quinti, ab anno Chriſti CCCC. *ad annum* D. *Sanctus Albeus. Dubtachus. Fiechus. Benignus. Sedulius. Fridelinus. S. Cataldus.*

Sanctus Albeus, al. Ailbeus in Eliæ Carolinæ territorio natus, à [a] *Chriſtiano ſacerdote*, ad fidem, dum adhuc puer eſſet, converſus eſt. *Chriſtianum* eum *ſacerdotem* in Hiberniam veniſſe, à ſede Romanâ miſſum, *multis annis ante Patricium, ut fidem Chriſti ibi ſeminaret*, refert vitæ S. Albei ſcriptor. Poſt aliquot annos, Albeus, lares paternos deſerens, Romam profectus, & ab Hilario

[a] *Vita S. Albei MS.*

(neſcio cujus ſedis) epiſcopo, in ſacris Scripturis inſtitutus, tandem ejus [b] *rogatu*, à Papâ in epiſcopum conſecratus eſt. Poſt reditum, (ut omnia in unum congeramus) tam docendo, quam vitæ exemplo, multos, ab idolorum cultu, ad Chriſtianam religionem convertit. Ac totâ demùm inſulâ, his pietatis officijs, peragratâ, Synodi Caſſelienſis (ut mihi videtur) decreto, Archiepiſcopus Momoniæ ordinatus eſt. Sed rem tibi ſuis verbis exhibebit vetuſtus author vitæ S. Declani. *Commanentes*, inquit, *in Civitate Caſſel. S. Patricius, S. Albeus, Sanctuſq; Declanus, cum multis ſanctis ſuis diſcipulis, apud regem Ænguſam*, (qui tum nuper D. Patricij prædicatione, Chriſto nomen dederat,) *multa bona rigoris Chriſtiani conſtituerunt, & ibi rex Ænguſa & Sanctus Patricius cum omni populo ordinaverunt archiepiſcopatum Momoniæ in civitate & in ſede S. Albei, qui tunc ab eiſdem archiepiſcopus ordinatus eſt.* Ex operibus ejus extat etiamnum MS[a]. *regula monaſtica.* Quam intelligit (ut opinor) annalium Ultonienſium collector, ad annum 792. ubi *legem Albai in Momoniâ receptam* aſſerit. Obijt grandævus 12. Septembris anno Dom. [c] D.XXVII. & Imelacæ (quam Hiberni *Imleac-Ibuir* appellant) in eccleſiâ ſuâ ſepultus eſt.

Dubtachus à B. Patricio ad fidem converſus, *Poëmata ſacra* edidit. [d] *Baptizatus namq;* (inquit Iocelinus) *& in fide Chriſti confirmatus, carmina quæ quondam ſtudio floreſcente, peregit in laudem falſorum deorum, jam in uſum meliorem, mentem mutans & linguam, poëmata clariora compoſuit, in laudem omnipotentis Dei, & ſanctorum ejus præconum.*

Fiechus aliàs Fiacha, Dubtachi diſcipulus, à ſancto Pa-

[b] *Vit. S. Declani.*

[c] *In Annal. Iniſfallen.* ad eundem an. *Quies Ailbe, Imlechæ Ibair.*

[d] *Jocel. Furneſ. Vit. S. Patricij cap. 44.*

Patricio Scleptenſi eccleſiæ præfectus epiſcopus, ſcripſit [c] *Hymnum* Hibernicè in laudem Patricij, 34. diſtichis comprehenſum. Putatur etiam ſcripſiſſe hymnum illum in laudem B. Brigidæ, cujus initium eſt. *Audite virgines laudes.* Sed poſterior à quibuſdam tribuitur Nimido *Lainidan* 1. claro, & ab alijs Ultano Ardbraccanenſi. De eo, ſic antiquus vitæ S. Patricij ſcriptor nondum editus. *Ordinavit* (inquit) *S. Patricius, in illâ regione,* (de Lageniâ loquitur) *de gente Laginienſium alium epiſcopum nomine Fiacha, virum religioſiſſimum, qui juſſione Beatiſſimi Patricij gentem Ceanſelach ad fidem convertit, & baptizavit, quæ gens major atq; potentior pars Laginienſium eſt. Qui epiſcopus Fiacha fortiter carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs attrivit, & in ſuâ civitate Sleibti,* (hodie *Sletty* in com. Reginæ) *juxta flumen Berba in campo Albe ſuæ vitæ ſanctiſſimum finivit curſum.*

[c] *Lib. vet. hymnor.*

Benignus S. Patricij diſcipulus, ejuſq; in ſede Armachanâ ſucceſſor ſcripſit librum, *partim Latinè & partim Hibernicè, de virtutibus & miraculis B. Patricij,* quo ſe uſum eſſe fatetur [f] Iocelinus. Haud me latet à [g] Campiano Senanum S. Patricio ſucceſſiſſe traditum. At perperàm. De Benigno noſtro vid. Iocel. in vit. Pat. cap. 39. ubi de eo ſic loquitur. *Ipſum ſucceſſorem miniſterijſui, ſicut & fuit, fore prædixit* Patricius. *Idem namq; Benignus in regimine Pontificatus Primatúſq; totius Hiberniæ ſucceſſit S. Patricio.* Sic ille. quod affirmat porrò Tirechanus in lib. de vitâ S. Pat. Mortem obijt anno Chriſti CCCCLXVII. vel CCCCLXVIII. Romæ, ſecundum authorem annalium Inisfallenſium, ſecundum alios, Ferlingmeræ juxta Glaſtoniam. Malmesburius verò de ponti-

[f] *Vit. S. Patricij, cap. 186.*

[g] *Hiſtor. Hib. lib. 1. cap. 14.*

ficatu Benigni tacens, eum Glaſtoniæ in Angliâ, Patricio *in abbatis regimine* ſucceſſiſſe perhibet. *Succeſſit* (inquit) *Patricio in abbatis regimine Benignus, ſed quot annis incertum. Quis autem fuerit & quomodo patriâ linguâ dictus, non facetè verſus exprimunt, qui in Epitaphio, apud Forramerum ſcripti fuerunt.*

Hoc patris in lapide, Beona ſunt oſſa locata,
Qui pater extiterat Monachorum hîc tempore priſco.
Hunc fore Patricij quondam fortaſſe miniſtrum
Fantur Hibervigenæ, & Beonam de nomine dicunt.

Quanta apud Deum gratia fuerit & ſit, & veteris quondam vitæ, & novæ in majorem eccleſiam tranſlationis præconantur magnalia. Deſunt hæc & multa alia de antiquitate Glaſtoniæ, in edito Malmesburio, ſed lucem nuper aſpexerunt, ex antiquis exemplaribus manuſcriptis, in primo tomo Conciliorum Britannicorum, V. CL. D. Hen. Spelmanni Equit. aurat.

Sedulius Scotus *Hibernienſis*, Theologus, Orator & Poeta inſignis, claruit ſub an. Chriſti CCCCXC. De eo ſic * Trithemius. *Sedulius presbyter natione Scotus, Hildeb. Scotorum archiep. ab ineunte ætate diſcipulus, vir in divinis Scripturis exercitatus, & in ſecularibus literis eruditiſſimus, carmine excellens & prosâ, amore diſcendi Scotiam relinquens, venit in Franciam, deinde Italiam perluſtravit & Aſiam. Poſtremò Achaiæ finibus excedens, in urbe Româ, mirabili doctrinâ clarus effulſit. Scripſit autem & metro & ſolutâ oratione plura opuſcula, de quibus ego tantum reperi ſubjecta. Ad Macedonium abbatem, opus inſigne juxta ſeriem totius Euangelij, quod præmiſit.*

* *De ſcriptoribus eccleſ. Vid. porro Sixti Senenſ. Bibliothec. ſacr.*

Carmen Paſchale metricè. Lib. 4.

Paſchales quicúnq; dapes.

In

In omnes epistolas Pauli prosaicè. Lib. 14.
Antequam Apostolica verba.
De Miraculis Christi. Lib. 1.
A solis ortus cardine,
Ad Theodosium Imperatorem. Lib. 1.
Romulidum ductor, clari
In majus volumen Prisciani. Lib. 1.
In secundam editionem Donati. Lib. 1.
Exhortatorium ad fideles. Lib. 1.
Cantemus socij Domino,
Epistolas plures ad diversos. Lib. 1.
Sedulius Scotigena,
De Miraculis Christi prosaicè. Lib. 2.

Alia quóq; nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non pervenerunt. Hic tandem ut Sigebertus scribit episcopus ordinatus fuit: sed ecclesiam, vel urbem ubi, non exprimit. Claruit sub Theodosio anno Dom. CCCCXXX. Hæc Trithemius. Sed opera ea Grammatica posteriori alicui Sedulio tribuenda ostendit illustrissimus Archiepiscopus [b] Armachanus. Sedulium nostrum author chronici quod Dextro tribuitur, ad an. 428. *Oretanum episcopum* in Hispaniâ facit. Eum etiam in Hispanorum numero collocant Damianus à Goes & Sebastianus Munsterus. Sed rem extra aleam, Sedulius ipse facit, in initio libri suprà citati, ubi se *Sedulium Scotigenam* vocat. Addamus porrò inscriptionem hanc annotationum ejus, in epistolas Paulinas. *Sedulij Scoti Hibernienſis in omnes epistolas Pauli Collectaneũ.* Atq; inde à Iohanne Sichardo, (qui opus illud *ex vetustatis adoratæ exemplari, quod à Fuldensi abbate acceperat*, primus in lucem dedit,) *Sedulius Hibernienſis* rectè appellatur. Ejus tres hymni primus incipiens, *A*

[b] *Iib. de Britan. eccles. primord. pag.* 780.

Solis ortus cardine, ſecundus, *Herodes hoſtis impie*, & tertius, *Salve ſancta parens, enixa puerpera regem*, ſummo in pretio habentur. De eo qui plura ſcire avet, librum petat in margine [i] citatum, ubi hæc & alia exactè tractata inveniet.

[i] *Ibid. cap.16.*

Fridelinus, regis Hibernici filius claruit anno CCCCXCV. Is, in Galliâ & Germaniâ, ubi in religione Chriſtianâ propagandâ, operam navavit, multa conſtruxit monaſteria, ac in eo tandem quod Seckingæ al. Secanæ, (inſula eſt in Rheno Fl. ſita) fundaverat, deceſſit, & ſepultus eſt. Scripſiſſe fertur [k] *pias quaſdam exhortationes*, & alia nonnulla, quæ nunc non extant. De eo vid. plura apud Gaſparum Bruſchium, in Chronologia monaſteriorum Germaniæ, & anonymum à Melchiore Goldaſto, inter rerum Alamannicarum ſcriptores, editum, anno M.DC.VI.

[k] *Bal. centur. 14. Scriptor. Britan. num. 10.*

In exitu ſeculi quinti claruiſſe dicitur S. Cataldus, patriâ Momonienſis, in bonis literis Liſmoræ educatus, factus poſteà epiſcopus Rachuenſis, cùm ſedem ſuam per aliquot annos, laudatè rexiſſet, peregrinationem Hieroſolymam uſque ſuſcepit: Deinde, ut ferunt, divinitùs admonitus, in Italiam profectus eſt, ubi Tarentinus evaſit epiſcopus. Genevæ porrò (*apud Lacum Lemanum*,) *Cataldum, ut urbis præſulem ac profeſſorem adoratum* aſſerit. Raph. Volaterranus, Commentar. Urban. lib. 3. De eo etiam ita [l] Alexander ab Alexandro, qui vixit anno M.D. *Quum florente fortuna Ferdinandi* I. *Regis Aragonÿ, urbs Neapolitana & regnum nullis adhuc belli calamitatibus premeretur, ſatis conſtat Cataldum ſanctum virum, qui abhinc annis mille pontifex urbi Tarentinæ præfuit, quemque patronum Tarentini cives venerantur & colunt, nocte intempeſta miniſtro*

[l] *Genial. dier. lib. 3. cap. 15.*

niſtro ſacrorum cuipiam tunc ſacris initiato, & in caſta religione educato, ſemel atque iterum in ſomnis apparuiſſe, ac monuiſſe, ut libellum à ſe conſcriptum, quem in abdito loco vivens abdiderat, in quo divina arcana ſcripta erant, effodere, & protinus ad regem deferri curaret, qui quum parum fidei ſomnio dediſſet, eadem ſibi per quietem ſæpius obverſata ſpecie, quum primo diluculo ſolus moraretur in templo, ipſum Cataldum qualis erat olim dum in vita ageret pontificia veſte & infula amictum, eidem miniſtro planè vigilanti apparuiſſe & prædixiſſe, ut poſtera luce quum primum poſſet, libellum à ſe conſcriptum, in abdito loco, quem in ſomnis prædixerat, conditum effodere & regi deferre ne cunctaretur, pœnam, niſi faceret, graviter comminatus. Poſtera luce ſolenni pompa miniſtrum cum populi comitatu ad latebram, in qua longiſſimo ævo libellus latuerat, proceſſiſſe: eumque plumbeis tabellis obſignatum, & clavis obſeratum inveniſſe, ſatis conſtat. In eo certum eſt, futurum regni excidium, miſerias, calamitates, & luctuoſa tempora, atque inſtantia mala, quæ poſtea ſequuta ſunt, regi prædixiſſe. Id quod experimento docti, magna mercede perſolutum vidimus. Siquidem tanta vis divinæ prædictionis fuit, ut haud multò poſt, ipſum Ferdinandum ſeu Deûm ira, ſeu fato inſuperabili, quod vitari non potuit, in primo belli apparatu è vita conſtet exceſſiſſe, Carolumq; Gallorum regem ingenti coacta manu, innumeris copijs Neapolitanum omne regnum invaſiſſe, Alfonſumque Ferdinandi primogenitum, poſt patris obitum vix regno aſſumptum, regno orbatum, turpi fuga velut in exilio diem ſuum obijſſe. Hæc ille. [m] Bartholomæus Moronus eum *circa annum* CLXX. Tarentum aſſerit ingreſſum. At ſi quæ de eo, dùm adhuc in Hiberniâ eſſet, tradita ſunt, æquâ lance perpendamus, præſertim de multi-

[m] *Vit. Cataldi edit. Romæ 1614.*

multitudine credentium ſui temporis, conſtabit (opinor) eum diu pòſt vixiſſe. Sed de tempore, quo vixerit, ut in re dubiâ, nihil definiam. Prophetiæ ejus [a] (plumbeis laminis inſcriptæ) inventio, à Morono ad an. refertur MCCCCXCII. Aſſignat etiam ei [c] Dempſterus (qui Scotum Albanenſem facit) præter dictam prophetiam *ſive lib. de viſionibus ſuis, Homiliarum lib. 1.* & *floruiſſe* aſſerit an. CCCLXI. Memoria ejus celebratur 10. Maij. Ad quem diem in martyrologio Romano ita legimus. *Apud Tarentum, Sancti Cataldi epiſcopi, miraculis clari.*

[a] *De monum. publicis & libris olim plumbeis laminis confectis. Vid. Herman. Hugon. lib. de prima ſcriben. origine. cap. 10.*

[c] *Hiſtor. eccleſ. Scot. lib. 3. num. 278.*

Cap. II.

Scriptores Seculi ſexti. Sancta Brigida, ubi de libro revelationum illi adſcripto diſquiſitum. S. Finanus. Kiaranus junior. Iarlathus. Prophetiam de Præſulibus Tuamenſibus malè à quibuſdam illi tribui. Cogitoſus. De Frigidiano, & de canonibus ei adſcriptis. Brendanus. Ruadanus. Congallus. S. Columba. Scriptor vitæ S. Itæ virginis.

S. Brigida virgo, Fochardæ in agro Louthiano nata, vixit plerumque Kildaræ, in cœnobio à ſe conſtructo, ubi abbatiſſa præfuit. Scriptor antiquus vitæ ejus, Conlianum (Cogitoſo Conleathum) [b] *epiſcopum ſanctum & prophetam Domini, ab eâ primum electum epiſcopum, in ſuâ civitate Kildarâ*, indicat. [d] Alij verò Conliano ſive Conleatho in ſede Darenſi præponunt Lonium & Ivorum: Hoſque authores ſequutus ſum, dum catalogum epiſcoporum Darenſium contexerem. De Brigidâ noſtrâ & revelationum ejus libris, ſic

[b] *Lib. 2. cap. 11.*

[d] *Stanihurſt. deſcript. Hib. & lib. rub. comitis Kildar.*

ſic [c] Balæus, in primâ ſuâ Scriptorum editione, *Literis utcunque formata, poſteris quoque* (inquit) *præſtitiſſe fertur Revelationum ſuarum lib. 12.* In [d] ſecunda verò ſua editione ita. *Angelo quodam dictante edidiſſe illam ferunt*

Suarum Revelationum Lib. 1.

Sed unde hæc? *Angelo dictante, Brigidâ orante, & Scriptore notante, liber eſt compoſitus, inquit Giraldus Cambrenſis in 2. lib. de mirabilibus, cap. 39.* Hæcille. At Giraldus, in loco citato, loquitur tantum de libro concordantiæ 4. Euangeliſtarum, varijs figuris ornato, & ad uſum Brigidæ, angelo dictante, conſcripto, non de revelationum aliquo libro. Priorem Balæi editionem, ſequitur [e] Eiſengreinius, nam Brigidam ſcripſiſſe aſſerit *Revelationum ſuarum lib. 12. obſcuriſſimos.* Eiſengreinij veſtigia premit [f] Poſſevinus: cujus verba ſunt. *S. Brigida Laginenſis, natione Scota, Dabothi principis filia, Revelationum ſuarum libros 12. obſcuriſſimè compoſuit. Hæc verò non eſt Brigitta Suetica, ſive Gothica, de quâ mox.* Cùm vero de revelationibus hiſce, nec apud Cogitoſum, nec apud aliquem è vetuſtis, vel recentioribus vitæ S. Brigidæ auctoribus, extet (quod ſciam) ulla mentio, Non poſſum non autumare, opus eſſe ſuppoſititium, & rectiùs Brigidæ Suticæ adſcribendum, id quod notavit Ioh. Leſlæus, de geſtis Scotorum, lib. 4. pag. 149. *Imperitè* (inquit) *hanc noſtram cum Brigittâ Suetica, cujus nomine revelationes multæ inſcribuntur, quidam confundunt: ſiquidem multis ſeclis, hanc Brigidâ noſtrâ fuiſſe poſteriorem, ſatis conſtat.* Sic ille. Deceſſit S. Brigida ſeptuagenaria, Februarij primo, (quo die memoria ejus celebratur) [g] anno æræ noſtræ Chriſtianæ DXXI. alijs, DXXIII.

[c] *Centur. 1. fol. 28. b.*

[d] *Centur. 14. ca. 11. edit. Baſil. 1558.*

[e] *Catal. teſt. veritatis.*

[f] *In Appar. ſacr.*

[g] *Vid. Marian. Scot. & Flor. Wigo n. ad an.* 521.

Eodem tempore floruit S. Finanus (aliàs Finianus) episcopus, Philosophus & Theologus insignis. Is nobili ortus prosapiâ, apud S. Dawidem Menevensem, in Walliâ aliquandiù commoratus est, eique ob egregias animi dotes valdè charus fuit. In patriam reversus, sedem suam episcopalem Clonardæ, in Midiâ, prope Boinum fl. collocavit, ubi porrò gymnasium instituit, quod illius curâ & laboribus, multos progenuit viros, sanctitate & doctrinâ celebres, inter quos fuerunt uterque Kiaranus, uterque Brendanus, Columba, Movæus & Ruadanus. Scripsit *prælectiones* quasdam & alia. Decessit Decemb. 12. anno salutis DLII. & in Ecclesiâ suâ sepultus est. Successores ejus (obiter adnoto) jam inde ab adventu Anglorum, non Clonardenses ut antea, sed Midenses episcopi dicti sunt, stilo à Midiâ (regione amplissimâ) mutuato. Nam coaluerant sub eo tempore sedes Clonardensis, Damliagensis & (ni fallor) Cenanensis sive Kellensis, quæ omnes in Midiâ sitæ sunt. Ex hymnis in festo ejus olim decantatis, unus incipit,

[h] *Annal. Inisfallens.*

[i] *Offic. MS. Finani.*

Exultemus Finiano,
Jubilemus diluculo,
Cujus dogma fuit favo
Pradulcius, in populo.

[k] *Ibid.*

Alius,

Regressus in Clonardium
ad cathedram Lectura,
opponit diligentiam
ad studium scriptura.

Kiaranus (al. Ciaranus vel Keranus) vulgò dictus *filius artificis*, cœnobium construxit Clonmacnoisæ, antiquitùs *Tipraic* dictæ, ad ripam Shenani fl. in occidentali

dentali Midiâ, Cui cùm [1] unicum duntaxat annum, vel ut [a] alij habent annos circiter 7. præfuisset abbas, naturæ debitum persolvit 9. Septembris anno gratiæ DXLIX. ætatis suæ XXXIII. Scripsit *regulam monasticam*, quæ in annalibus Ultonienſibus, ad annum DCCXLIII. *Lex Ciaran filij artifici* appellatur.

[1] *Auctor vitæ ejus.*
[a] *Vid. Tigern. Annal.*

S. Iarlathus Logæ filius, primus ecclesiæ Tuamensis antistes floruit circa annum DL. Extant sub ejus nomine *vaticinia* de successoribus suis in sede Tuamensi, (quorũ exemplar habeo) sed falsò illi ascripta. Figmenta potiùs puto longè posterioris ævi. Iarlathi meminit scriptor vitæ S. Brendani, ubi etiam de sede illius ita legimus. *In ipsa jam lege in honore Sanctissimi senis Iarlathi episcopi clara civitas ædificata est quæ dicitur Tuayn-Deghulan, in provinciâ Connachtorum.*

Ad hæc tempora refertur Cogitosus, scriptor vitæ S. Brigidæ. Extat apud Canisium tom. 5. antiquæ lectionis. In fine operis auctor nomen suum his verbis aperit. *Orate pro me Cogitosũ nepote culpabili.* Hinc *quidã suspicantur* (inquit V. Cl. [a] Gerardus Io. Vossius) *ipsum Brigidæ nepotem fuisse. Quod si est, de ætate ejus obscurum non erit, nam obijt Brigida temporibus Iustini senioris anno* DXXIII. *Sed fortasse ob adolescentiam luxuriosè transactam*, culpabilem se nepotem *vocat, uti Horatius dixit* discinctum nepotem: *à quâ notione apud Senecam & Tertullianum* nepotari *dicuntur qui sua inutiliter profundunt. Quicquid est, valde antiquum esse scriptorem, ex non uno loco cognoscitur.* Sic ille.

[a] *De Historicis Latin. lib. 3. pag. 624.*

Frigidianus, [o] Volaterrano Phridianus, *Ultoniæ regis in Hibernia filius, adolescens admodùm Romam venit; postremò Lucam in Italiâ, ubi præsul factus, cœnobium excitavit, quod post obitum, ejus nomini dicatum*

[o] *Comment. Urban. lib. 21.*

fuit. Librũ de Canonib⁹ qui sub ejus nomine extat, ei authori malè tribui, ex ejus [p] offic. lect. 4. liquet. Nam ibi *secum detuliſſe* dicitur *ſacra decreta, quæ pro munere Pelagius Papa ei donaverat, quæ adhuc* ita verba offic. *dicuntur canones B. Frigidiani.* Claruit an. D.LXX.

[p] *Apud Auguſt. Ticinenſ. in ẽlucidario Chriſtianar. relig. part. 4.*

S. Brendanus abbas (Finlogæ filius) patriâ Kerrienſis, ab Erto epiſcopo educatus, cœnobium Clonfertæ (in agro Galviano) extruxit anno D.LVIII. & aliud poſteà Enaghdunæ. In his & in alijs à ſe fundatis cœnobijs, tribus monachorum millibus præfuiſſe dicitur, qui manuum ſuarum laboribus, victum ſibi comparabant. In vitâ ejus multa traduntur vana fictáq;, vel (ut cum [q] Molano loquar) *apocrypha deliramenta*, præſertim de ſeptennali ejus navigatione, ad inſulas neſcio quas, priùs incognitas. De Purgatorio ejus, audi, ſi placet, è Camdeno, Alexandri Nechami tetraſticon.

[q] *In Vſuard. Martyrol. 16. Maij. Vid. porrò Vincentij ſpec. hiſt. lib. 21. cap. 81.*

Aſſerit eſſe locum ſolennis fama dicatum
Brendano, quo lux lucida ſæpè micat.
Purgandas animas, datur hîc tranſire per ignes,
Vt digna facie judicis eſſe queant.

Scripſit, juxta [r] Baleum,

[r] *Centur. 14. num. 78.*

Confeſſionem Chriſtianam. Lib. 1.
Chartam cœleſtis hæreditatis. Lib. 1.
Monachorum regulam. Lib. 1.

Scripſit præterea, ut [s] alij tradunt, *Revelationes de futuris temporibus & Epiſtolas quaſdam.* Obijt Enachdunæ, 16. Maij anno D. LXXVI. vel D. LXXVII. Unde corpus Clonfertam (quæ à Iohanne Tinmuthenſi & ejus ſequacibus, Cluenarcha perperàm appellatur) deportatum ibidem ſepulturæ eſt traditum. Ad eundem annum ſic annales cœnobij Inisfallenſis,

[s] *Vid. Arnoldwion. lib. 2. ligni vitæ, & Dempſt. Hiſt. eccleſ. Scot. num. 143.*

lensis, (quos MSS. habeo) *Quies Brendani Cluainfertensis 97.* [*al. 94.*] *anno ætatis suæ. Item mors Ædæ mac Echdac regis Connachtæ qui obtulit Enachduinam Brendano.* Ei par fuit alius Brendanus Luaignei filius, qui Birræ in Elienſi territorio, (quod hodie pars eſt comitatus Regis,) præfuit abbas, & ibidem deceſſit anno Chriſti DLXXII. Hunc locum, in hodiernâ Scotiâ, fruſtrà quærit [c] Dempſterus. Vita ejus MS. extat in libro cõmunitatis fratrum Minorum Kilkenniæ circa an. 1350. exarato, ſed vetuſtius exemplar habetur in Paſſionario, quod pertinebat olim ad cœnobium B. Mariæ Eboraci. Hodie verò aſſervatur in bibliothecâ Cottonianâ, Weſtmonaſterij.

[c] *Appar. ad hiſtor. Scot. lib. 1. cap. 15.*

Ejus æqualis fuit S. Ruadanus, qui à S. Finano epiſcopo Clonardenſi (ut ſuprà diximus) educatus eſt & presbyter ordinatus. Is in Momoniam profectus, Lurchoæ al. Lothræ cœnobium conſtruxit, ibíq; abbas præfuit. Scripſiſſe fertur

Contra Diarmod regem, Lib. 1.
De mirabili fontium in Hibernia naturâ. Lib. 1.
De miraculosâ arbore.

Obijt [d] Lothræ anno DLXXXIIII. 17. ut videtur Aprilis. Nam feſtum ejus eo die agitur.

[d] *Annal. Tigernaci.*

S. Congallus vel Cõmgallus, (i. ſi interpreteris pulchrum pignus) in Dalnariadâ natus, ſed [*] Clonenachæ educatus ſub S. Finano, deinde Clonmacnoiſæ ſub Lugido epiſcopo, à quo ordines accepit. Anno demùm, ſecundum annales Ultonienſes DL.IIII. (qui nobis DL.V. eſt) Bangoræ cœnobium [x] *nobiliſſimum* (hodiè in agro Dunenſi ſitum) conſtruxit. De eo ita antiquus vitæ ejus ſcriptor, *Sanctus*, inquit, *Congallus conſtituit magnum monaſterium quod*

[*] *Villa eſt in com. Reginæ.*

[x] *S. Bernard. in vitâ Malachiæ.*

†Vulgò Ardeu. *vocatur Beanchor, in regione quæ dicitur* † *altitudo Vltorum, juxta mare orientale, & maxima multitudo Monachorum ibi venit ad S. Congallum, ut non potuissent esse in uno loco, & inde plurimas cellas & multa monasteria ædificavit, non solum in regione Vltorum, sed per alias Hiberniæ provincias, & in diversis cellis & monasterijs, 3. millia monachorum, sub curâ S. patris Congalli fuerunt.* In hoc cœnobio, Cormacus rex Lageniæ, grandævus, regno renunciato, monasticam, sub S. Congallo, amplexus est vitam. Sunt qui Pelagium hæresiarcham hinc prodijsse tradunt, at malè procul dubiò; siquidem inter mortem *colubri illius Britanni* (ut eum appellat [r] Prosper Aquitanus) & primam hujus cœnobij fundationem, anni CXXX. vel circiter effluxerunt. Scripsit Congallus *instituta monastica*, quæ etiamnum extant, *& epistolas quasdam.* Vitam hanc reliquit in cœnobio suo Banchorensi, anno Dom. DC. vel DCI. ætatis suæ 85. Memoria ejus celebratur X. Maij. Hunc [z] Dempsterus præcepti de suo cuíq; tribuendo immemor, inter Scriptores Scoto-Britannos enumerat.

[r] *De ingratis, contra Pelagianos. cap. 1.*

[z] *Histor. eccles. Scot. lib. 3. num. 254.*

S. Columba, (Bedâ impresso Columbanus) unus è præcipuis ecclesiæ Hibernicæ columnis, sub anno DLX. [a] *in Mediterraneâ Hiberniæ parte, Monasterium quod Scoticè dicitur Dairmagh*, fundavit. Illud idem est cum Augustiniano eo cœnobio, quod hodiè Durrogh & Durmagh dicimus in comitatu Regis, & malè à quibusdam cum cœnobio Armachano confunditur. De eo etiam sic venerabilis [b] Beda. *Fecerat autem* (inquit) *priusquam Britanniam veniret, monasterium nobile in Hiberniâ, quod à copiâ roborum, Dearmach, linguâ Scotorum, hoc est campus roborum, cognominatur.*

[a] *Adamnan. vit. Col. lib. 1. cap. 3.*

[b] *Eccles. histor. gent. Anglor. lib. 3. cap. 4.*

Anno

Anno tum DLXV. in Britanniam trajecit, *prædicaturus* (sic iterùm [c] Beda) *verbum dei provincijs septentrionalium Pictorum*, & post pauca, *venit autem Britanniam Columbanus, regnante Pictis Bridio filio Meilchon, rege potentissimo, 9. anno regni sui, gentémq; illam verbo & exemplo, ad fidem Christi convertit.* Dùm in Scotiâ moderna esset, cœnobium condidit in Ionâ Insulâ, aliàs dictâ Hu & Y-Columb-kill (ob sepulturam regum Scotiæ, & Sanctorum virorum multitudinem, posteà celeberrimum,) cui ipse abbas præfuit. Tempus celebrandi paschatis, quod ipse majorum more, contra morem ecclesiæ Romanæ, die dominico à 14. usq; ad 20. lunam, successoribus observandam reliquit, ab ijs posteà usq; ad annum DCCXVI. diligenter præstitum esse è [d] Beda liquet. Mortem obijt 5. Idus Iunij anno DXCVII. annos natus LXXVII. & in ecclesiâ suâ Hyensi sepultus est, ut ex [e] Adamnano & [f] Beda constat. Successit ei in præfecturâ cœnobij prædicti Baithenus, qui post annũ unum vel alterum defunctus est. Scripsit Columba *Regulam monasticam*, quæ extat & vulgò *regula Columbkill* dicitur.

[c] *Ibid.*

[d] *Lib. 5. ca. 25.*

[e] *In fine libri 3. de vit. S. Columbæ.*

[f] *Lib. 3. eccles. hist. cap. 4.*

Item [g] *hymnum* in laudem S. Kiarani abbatis Clonmacnoisensis.

[g] *Vita S. Kiarani MS.*

Item [h] tres alios hymnos, quorum primus incipit *Altus prosator*. Secundus *In te Christe*, quem composuisse dicitur, *quia Gregorius* (Papa opinor) *dixerat nimis parcè illum in hymno præcedente, Trinitatis meminisse*, & tertius, (quem *in Dairechalgaig* fecit) incipit, *Noli pater indulgere*. Fertur etiam prophetâsse de S. Carthagi expulsione è cœnobio Raithen vel Ralihiensi in Fercalliâ, & de alijs rebus.

[h] *Lib. 2. et hymnor. convent. Dunnagallia.*

In

In exitu hujus ſeculi vixit ſcriptor vitæ S. Itæ al. Idæ virginis, quæ mortem obijt in cœnobio monialium *de Cluaincredil*, ubi præfuerat abbatiſſa, [i] anno DLXIX. vel DLXX. Hujus libri auctor ignoratur, ſed ætatem ejus è vitâ Itæ colligimus. *Alio tempore quidam vir Feargus* (inquit auctor ille) *cujus filius adhuc vivit, adductus eſt ad Sanctam Idam in maximo dolore oculorum & corporis, vix enim ſui amici ſciebant, ſi vivus an mortuus eſſet, ſed hic ager penè mortuus & luminibus extinctus, & à cunctis deſperatus, ſatis valens corpore & oculis perſpicaciſſimis, ad ſua redijt, atq; jam uſq; ad obitum ſuum, ſanus membris ſuis, per orationem & benedictionem ſanctæ Idæ vixit.* Sic ille.

[i] *Annal. Tigernaci & Annal. Ulton.*

Cap. III.

Recenſentur Scriptores ſeculi ſeptimi. S. Evinus. ubi de tempore quo floruerit conjectura. Molua al. Lugidus. Munnu. Daganus. S. Columbanus. Coemgenus al. Keivinus. Cuana. S. Gallus. S. Carthagus al. Mochutu. Ionas. S. Livinus. S. Molingus. Vltanus. Tirechanus. Segenius. Aidanus. Braccanus. Caminus. Finanus. Fiacrius. Furſæus. De S. Manchino quem Henricus Fitz-Symon Autherem vocat libri de mirabilibus Scripturæ. Arbogaſtus. Aileranus. Cuminus Fota. Cummianus al. Cummineus albus. Colmannus. Cenſala. Diſibodus. Maildulphus. S. Cuthbertus. S. Kilianus. De Theodoro, quem aliqui perperàm archiepiſcopum Hibernienſem appellant. Adamnanus. Oengus mac Tiprait.

S. Evinus [a] ſcripſit librum *de vitâ S. Patricij*, quo ſe adjutum fatetur Iocelinus. Fortè idem fuit cum

[a] *Vit. S. Pat. ca. 186.*

Eyveno

Eyveno, de quo in vitâ S. Moluæ ita legimus. *Tunc fuit S. Eyvenus in monaſterio ſuo de Roſſ-mac-Treom, non longè à* Berua.* Si idem fuerit, tunc claruit ſub initium hujus ſeculi. Eccleſiam illius memoriæ dicatam, apud novũ pontem de Roſs, à Gul. Mareſchallo comite Penbrochiæ Priori & conventui hoſpitalis S. Io. Evangeliſtæ juxta Kilkenniam, conceſſam docet loci regeſtum. * Barrow.

Molua patriâ Momonienſis, ſed ſub S. Congallo in Ultoniâ educatꝰ, abbas poſteà cœnobij *Clõfert-Moluæ* dicti, ſcripſit *Monachorum regulam*, quam (à S. Dagano abbate Romam delatam,) Gregorius primus legiſſe & approbâſſe fertur. Mortem obijt anno DCIX. Auguſti 4. & in cœnobio ſuo ſepultus eſt, cùm leprâ percuſſus, 20. ante obitum annos, leproſus fuiſſet, ut è ſcriptore vitæ ejus liquet.

Claruit eodem tempore S. Munnu (aliàs Fintanus,) abbas cœnobij Taghmunnenſis, non procul à Wexfordiâ. Scripſit, ſecundum Hanmerum, librum *de controverſiâ Paſchali.* Quâ de re, magna fuit inter eum & Laſerianum epiſcopum Lechlinenſem contentio. Mortem obijt admodum ſenex in cœnobio ſuo, menſe Octobri 635. alijs 634. Ad quem annum ita [b] Tigernacus. *Anno 634. Quies Fintain i. Mundu mac Tulcain 12. Cal. Novembris.* b *Tigernaci annal. MSS.*

Æqualis ei fuit Daganus, qui (ut in vita S. Moluæ legimus,) habitavit in loco ab ejus nomine *Achad-Dagain* dicto. Is idem fuit fortè cũ Dagano epiſcopo, de quo fit mentio in [c] epiſtolâ Laurentij archiepiſcopi Cantuarienſis, ad epiſcopos Hibernicos, ut de acerrimo Hibernicorum rituum propugnatore. Scripſiſſe fertur Daganus epiſcopus, ſecundum [d] Balæum, *ad Britannorum eccleſias, Lib.* 1. c *Bed. lib.* 2. *eccleſ. hiſtor. ca.* 4. d *Centur.* 14. *num.* 13.

Sanctus Columbanus (qui cum S. Columbâ, de quo suprà, à quibusdam malè confunditur,) patriâ Lagenienſis, ſub tutela S. Congalli in monaſterio Bangorenſi educatus, in Burgundiam profectus eſt anno 589. cum 12. ſocijs, (inter quos Marianus S. Gallum numerat,) ac ibidem prima cœnobij Luxovienſis fundamenta jecit, in quo tanta brevi crevit monachorum multitudo, ut aliud cœnobium Fontanum dictum erigere coactus fuerit, in quo partem monachorum collocaret. Columbanus hic (ut omnia ſimul congeramus) poſtquam cœnobio Luxovienſi annos fermè 20. præfuiſſet, Brunechildis reginæ perſecutione, inde ejectus eſt & in exilium pulſus. Durante exilio, Galliam fermè univerſam peragravit: Sed in Italiam demùm ſeceſſit, ubi Agilulphi Longobardorum regis (à quo honorificè ſuſceptus eſt) aſſenſu, cœnobium Bobienſe conſtruxit. Scripſit *multa* (inquit [e] Sigebertus) *vel ad canendum digna, vel ad docendum utilia.* Inter alia, *in Pſalterium Commentariorum Lib. 1. Contra Arrianos lib. 1.* quem [f] Ionas *libellum florentis ſcientiæ* appellat. *Homilias 13.* quas è codice MS°. cœnobij Bobienſis edidit [g] Thomas Meſſinghamus. *Epiſtolas quaſdam*, quarum aliquas edidit Goldaſtus. Item *Carmen Monoſticon* quod è codice MS°. Friſingenſi primùm authori ſuo reſtituit [h] Hen. Caniſius. Item [i] *Monachilem regulam edidit, primuſq; Gallis tradidit.* Habetur in Florilegio inſulæ Sanctorum, è codice MS monaſterij Bobienſis. In Galliâ etiam, ab oculato teſte extare didici, *binas* ejuſdem *epiſtolas* ad Romanum Pontificem Bonifacium, & *apologiam modeſtam*, pro ſe in judicium vocato, coram Provinciali Concilio Matiſconenſi Epiſcopo-

[e] *Cap. 60.*

[f] *Vit. Columbani, cap. 29.*

[g] *In Florileg. inſ. SS.*

[h] *Append. tom. 1. antiq. lect.*

[i] *Hiſt. eccleſ. Orderici Vitalis, lib. 8. ad an. 1094.*

ſcoporum Galliæ, circa præpoſteram Paſchatis obſervationem, quam ipſe in Gallijs exercebat. Obijt Columbanus in dicto cœnobio ſuo Bobienſi prope Neapolim, die 21. Novembris. an. 615. cùm cœnobio illi unicum duntaxàt annum præfuiſſet. Succeſſit ei Attala Burgundus. Columbanum noſtrum [k] Cruſenius ordinis fuiſſe Auguſtiniani contendit, [l] Reynerus verò ordinis Benedictini: ſed propriam *condidiſſe regulam* ex ſuprà citatis Ionâ & Orderico liquet: quanquam diſcipuli ejus poſteà, *ædificationis cauſâ*, (ut habet idem Ordericus) *normam ſuſceperint Benedicti, ita tamen ut non abhorrerent ſui ſtatuta Magiſtri, almi videlicèt Columbani.*

[k] *Monaſtic. Auguſtin par. 2. cap. 11.*

[l] *Apoſtolat. Benedict. in Angliâ pag. 156.*

Coemgenus (vulgò S. Keivinus) patriâ item Lagenienſis, & Columbani æqualis, vixit plerumque Glendalochæ, ubi cœnobium condidit. Scripſit (ut [m] Hanmerus tradit) *de Britannorum origine, Lib. 1. & de Hibero & Herimone, Lib. 1.* Deceſſit 3. nonas Iunij, an. 618. ætatis ſuæ 120. Nomen ejus *Latinè ſonare pulchrum genitum* è vitæ ejus ſcriptore intelligimus.

[m] *Chron. Hiber.*

In annalibus Ultonienſibus ſæpe citatum invenio *Librum Cuana* al. *Cuanachi* uſque ad annum Dom. 628. ſed non poſteà. unde conjicio eum authorem Chronici fuiſſe, & ſub hoc tempore floruiſſe. ſi author fuerit recentior, fortè vel *Cuana* ille fuit, qui in jam dictis annalibus *Cuana nepos Beſſani ſcriba Treoit* appellatur & obijſſe dicitur. an. 738. vel *Cuana* ille *ſapiens & epiſcopus de Lugmai* qui in iiſdem annalibus obijſſe dicitur, anno 824. Sed de hac re nihil definio.

Sanctus Gallus claruit anno D. 630. Illius ſuaſu Sigebertus Auſtraſiæ rex cœnobium condidit in Helvetiâ, quod à S. Gallo noſtro nomen retinens, *ad*

eas opes, & ad eam amplitudinem tandem pervenit, ut (opido inde nato) *principem facilè locum* (inquit Miræus) *in Germaniâ obtineat.* Vitam ejus descripsit Wallafridus Strabo abbas Augiensis, quæ apud Surium extat, ad 16. Octobris. Eandem metrice scripsit Notkerus, cujus partem aliquam edidit [n] Hen. Canisius. Scripsit S. Gallus sermonem, quem habuit Constantiæ in templo S. Stephani in consecratione Io. Constantiensis episcopi, & epistolas quasdam ab Hen. Canisio editas. [o] Item orationem habitam coram episcopo Constantiensi, de forma gubernandi Ecclesiam, quæ extare dicitur manuscripta in Bibliotheca celebris monasterij S. Galli in Helvetia. His addamus *Psalterion* ejus, de quo [p] Ioachimus Vadianus in libro suo *de collegijs & monasterijs Germaniæ, Extat apud nos* (inquit) *San-Galli Psalterion, à Notkero monacho, quem ob linguæ tarditatem Balbulum cognominarunt, in nostram linguam translatum, Arnolpho imperante:* Arbonæ febre correptus decessit 16. Octobris 635. cùm annum ætatis suæ 95. attigisset, ut è 13. cap. vitæ S. Magni, à Theodoro Campedonensi abbate descriptæ colligimus. Hunc inter Scotos-Albanenses numerat [q] Dempsterus. Sed Hibernum fuisse testantur Wallafridus Strabo, Notkerus, Petrus de Natalibus, Volaterranus, alij.

n *Tom. 5. antiquæ lect.*

o *Ant. Possev. appar. sac.*

p *vid. Melchior. Goldast. tom. 3. rerum Alaman.*

q *Histor. Scot. lib. 6. num. 557.*

Gallo æqualis fuit S. Carthagus, (aliàs Mochutu) patriâ Kerriensis, & S. Carthagi senioris Discipulus. Is cœnobium Rathense in Fercallâ erexit, ubi ipse abbas, per annos 40. præfuit. Numerabantur ibidem, uno tempore, sub ejus tutela, 867. Monachi. In extrema sua senectute, à Blatmaco rege Temoriæ, monasterio suo ejectus, Lismoram migravit, ubi sedem

dem fixit episcopalem, & Leprosis nosocomium sive hospitale construxit. Scripsit *monachorum regulam*, quæ etiamnùm extat Hibernicè perscripta. Vitam hanc reliquit pridie Idus Maij, vel secundum Tigernacum, quinto Id. Maij, anno æræ nostræ Christianæ 637. alijs 636. Ad quem annum in annalibus Ultonienſibus legimus, *Anno 636. Mocuda Rathan pausat*, & in annalibus cœnobij Inisfallenſis, ita, Eodem anno *Quies Mochutæ Lismoir.*

Ionas, Hibernus, abbas Luxovienſis cœnobij, in Burgundiâ, floruit an. 640. Scripsit (teste Sigeberto) *vitam Columbani abbatis, & vitas Attalæ & Eustacij, qui fuerunt discipuli & successores Columbani.* Quibus addamus (præter hymnos quosdam) vitas Bertulphi abbatis, ejusdem Attalæ successoris in præfectura cœnobij Bobienſis, & Burgundoforæ. Hæ vitæ, à quibusdam, falsò tribuuntur venerabili Bedæ, inter cujus opera imprimuntur. Scripsit præterea *vitam S. Bathildis* Clodovæi Francorum regis uxoris, quæ (ut à Stephano Vito, antiquitatum Hibernicarum indagatore solertissimo accepi,) extat in Bibliotheca S. Arnulphi apud Benedictinos urbis Metenſis in Lotharingia. Ionas quidam scripsit vitam S. Wlfrani archiepiscopi Senonenſis, ut è [r] Surio liquet. Cùm verò Wlfranus ille obierit anno, 720. vitam ejus ab hoc Iona conscriptam falsò tradidisse [s] Dempsterum constat.

[r] *Ad Martij 20.*

[s] *Lib. 9. n. 760.*

Ei coævus fuit Sanctus Livinus, vir doctus, & quod longè glorioſius est, martyr Christi, de quo ita [t] Masſæus. *S. Livinus, natione Scotus, archiepiscopus Hiberniæ, Gardavum venit cum 3. Discipulis, 16 Julij Inaict. 6. Mansit illic menſe uno. Deinde profectus ad Escam, prædicavit*

[t] *Christ. Masseus Ca. Chro. li. 13. in an. 633.*

dicavit Chriſtum, multos convertit. Quidam verò indurati occiderunt eum 12. Novembris ejuſdem anni. Sic Maſſæus. De eo vid. plura apud Io. [u] Molanum. Scripſit, ad Florbertum abbatem monaſterij S. Bavonis *epiſtolam*, Item *epitaphium S. Bavonis.* Dicitur etiam ſcripſiſſe [x] *homilias aliquot*, &c alia. Reliquiæ ejus Gandavum tranſlatæ ſunt anno 1007. Ibi diù poſteà magnâ curâ aſſervatas eſſe, è [y] Philippo Cominæo conſtat. De ætate ejus errat [z] Pollevinus. *Levinus* (inquit) *Scotorum Archiepiſcopus & martyr homilias aliquot reliquiſſe ſcribitur. Vivebat anno 1007.*

u *Natal. SS. Belgij. ad 12. Nov.*

x *Bal. centur. 14. num. 16.*

y *Hiſtor. lib. 2. cap. 4.*

z *In apparatu ſacro.*

Sanctus Molingus (Oilani filius) claruit anno 632. Is (uti aliàs diximus) in regiuncula Kenſhelaghenſi natus, quæ nunc pars eſt Com. Wexfordiæ, adoleſcens adhuc, monaſticam amplexus eſt vitam. Poſteà Aghacainidæ ad ripam Barroi fl. quæ hodie Teghmoling appellatur, in cœnobio à ſe conſtructo abbas præfuit. Ibi plerúmq;, nonnunquam verò Glendalachæ complures tranſegit annos. Interim ſcripſiſſe ferunt verſibus Hibernicis vaticinia quædam, quibus multa prædixit de regibus Hiberniæ, ac de prælijs & mortibus eorum [a] *uſq; in finem ſeculi.* Anno tandem 632. à rege Lageniæ procerum ſuaſu [b] *conſtitutus eſt archiepiſcopus* (Fernenſis) *in ſede & in Cathedrâ ſancti Madogi.* Obijt 17. Iunij. De anno nihil traditum reperi. Corpus ejus Temolingæ in cœnobio ſuo honorificè ſepultum eſt, ubi miraculis neſcio quibus coruſcâſſe ferunt.

a *Author vitæ S. Molingi.*

b *Ibid.*

Ultanus *mac Concubar*, epiſcopus Ardbracanenſis, miracula Brigidæ in unum collegit librum ordine Alphabetico, unde anonymus, [c] *qui carmine res ejuſdem virginis deſcripſit, in poëmatis illius prologo,*

c *Vid. Reverendiſſ. Armac. Archiep. de Britan. eccleſ. prim. pag. 1067*

Scripſe-

Scripſerunt multi virtutes virginis almæ;
Ultanus doctor, atque Eleranus ovans.
Deſcripſit multos Animoſus nomine libros,
De vitâ & ſtudijs virginis ac meritis.

Putatur porrò vitam ſcripſiſſe S. Patricij, & hymnos quoſdam. [d] Obijt apud Ardbracan in Midiâ pridie Nonas Septembris, anno ſalutis DCLV. alijs DCLVI. Prædixiſſe fertur Anglorum adventum in Hiberniam, qui inſulam imperio Anglicano adjungerent. Ei coævus fuit alius Ultanus, Furſei frater, cujus meminit Beda, lib. 3. eccleſiaſticæ hiſtoriæ gentis Anglorum, cap. 19.

[d] *Annal. Tigernaci.*

Ultani diſcipulus, Tirechanus epiſcopus, ſcripſit libros 2. de rebus geſtis S. Patricij, quorum hæc eſt inſcriptio. *Tirechan epiſcopus hæc ſcripſit, ex ore, vel libro Ultani epiſcopi, cujus ipſe alumnus vel diſcipulus fuit.* Hi libri etiamnum extant MSSi.

Segenius (Fiacnæ filius) quartus cœnobij Huenſis abbas, vir ſanctus & doctus, ſcripſit (ut fertur) *Monachorum regulam, Homilias, & epiſtolas.* Deceſſit in cœnobio ſuo, 7. Aprilis, anno 651. vel 652. Segenium abbatem *Iæ eccleſiam de Recarn* fundâſſe an. 634. vel 635. ex annalibus Tigernaci liquet. Ei, de tempore, aſtipulantur annales Ultonienſes, qui eodem anno *eccleſiam Rechran* (nam variè legitur) *fundatam eſſe* docent: in inſulâ nimirùm, Ptolomæo Ricina, hodiè Rachlin vulgò dictâ. De Segenio vide plura apud [e] Bedam.

[e] *Lib. 3. cap. 5.*

Aidanus cœnobij Huenſis monachus, Oſwaldi regis Sanctiſſimi Northumbrorum conceſſione, in inſulâ Lindiſfarnenſi, ſedem collocavit epiſcopalem, ubi annos præfuit fermè 17. Interim [f] Northumbros

[f] *Mat. Weſtmo. ad an. 635.*

bros ethnicos, ad fidem Christi convertit. Obijt Aidanus g *Doctor ille egregius* pridie Calend. Septemb. (h quo die memoria ejus celebratur) anno 651. 12. die post interitum Oswini regis. Scripsit (ut ferunt) i *commentaria in sacras scripturas, homilias & Conciones*. Acta ejus fusè persequitur Beda, lib. 3. cap. 3. 5. 14, 15, 16, & 17.

g *Eliæ Trickingami annales, quos MSS. habeo.*
h *Martyr. Rom.*
i *Vid. Bal. Centur. Lib. 14. ca. 17. & Anton. Possevini apparatum sacrum.*

Braccanus abbas cœnobij ab ejus nomine *Ardbraccan* dicti, ubi nunc est Mannerium episcopi Midensis, claruit anno salutis 650. Hunc prædixisse & perscripsisse ferunt futura bella in Hiberniâ, Anglorum adventum & successum. Vaticinia illa, necnon alia Sanctis Patricio, Columbæ & Molingo ascripta, collegisse & publicâsse dicitur Gualterus de Islip aliàs Istelip Hiberniæ Quæstor anno MCCCXVII.

S. Caminus scripsisse putatur in Psalmos. Habentur enim inter libros conventus Franciscanorum *de Dunagall*, schedæ antiquissimæ, in Psalmum 119. quas ejus manu exaratas fert traditio. k Obijt Inisceltræ (al. Iniscaltaræ) anno salutis 653.

k *Annal. Inisfallens.*

Finanus Hibernus itidem, Aidani in episcopatu Lindisfarnensi successor, claruit anno 651. De certamine ejus cum Ronano, circa Paschæ observationem, l Bedam consulas. Scripsit (ut refert Baleus) *pro veteri Paschatis ritu. Lib.* 1. Obijt anno 661. eique successit Colmannus, de quo posteà suo loco.

l *Lib. 3. cap. 25.*

Ei coævus fuit Fiacrius, nobilibus in Hiberniâ parentibus oriundus, qui vitæ solitariæ desiderio, patriam deserens à Pharone Meldensium episcopo in Galliâ, nemus quoddam Briodolium dictum, obtinuit, ubi heremiticam egit vitam, scripsit secundum m Dempsterum,

m *Histor. eccles. Scot. lib. 6. n. 511.*

Ad

Ad Syram sororem de monasticæ vitæ laude, Lib. 1. MS. Meldis.

Meditationes, Lib. 1.

De eo vide plura apud Surium ad 30. diem Augusti.

Furſæus al. Furſeus, ſub anno 637. patriâ relictâ, Angliam petijt, ubi à Sigeberto Orientalium Saxonum rege adjutus, in loco dicto Cnobersburg, (hodie *Burgh-caſtle* in Suffolcia) cœnobium condidit, in quo Sigebertus ipſe Furſæi ſuaſu, pompâ regiâ renunciatâ, monaſticam amplexus eſt vitam: Sed inde poſteà invitus extractus, ut intereſſet prælio contra Pendam Mercíorum regem [n] *Virgam* (inquit Florentius Wigorn.) *tantùm in manu tenens*, unà cum Egrico cognato ſuo, (cui regnum reſignârat) interijt. Furſæus jam ut tumultus bellicos devitaret, cœnobio ſuo, Foilano fratri, Gobbano etiam & Dicullo presbyteris commiſſo, in Galliam cum Ultano altero fratre trajecit, ibique cœnobium Latiniacum Gallicè [o] *Laigny* in dioceſi Pariſienſi, ad Sequanum fl. fundavit. Mortem obijt Peronæ in Picardiâ Ianuarij 16. (p quo die memoria ejus celebratur) anno 648. vel (ut alij tradunt) 653. ad quem annum, ita author annalium cœnobij Buellienſis, Anno 653. *Furſu Parunæ quievit.* Moriturus, cœnobij Latiniaci *curam B. Eloquio* Hiberno *reliquit, qui cùm poſteà diſcipulorum ſuorum animos iniquè inter ſe concitatos intelligeret, cum paucis fratribus, Grimacum ad Iſaram ſeceſſit.* &c. Sic [q] Miræus. De viſione ejus, quæ, ab hiſtoricis noſtris, ad annum refertur 626. vel 627. Bedam videas, lib. 3. eccleſ. hiſtoriæ cap. 19. & Iohannem Capgravium in ejus vitâ. Scripſit, ſecundum [r] Dempſterum, *De vitâ Monaſticâ,*

n *Chron. ad an. 636.*

o *Aub. Miræus de collegijs Canonicorum, pag. 41. Vid. porrò Florilegum, ad an 647.*

p *Bed. Martyrol.*

q *Lib. de orig. cœnob. Bened. in Belgio.*

r *Hiſt. eccleſ. Scot. lib. 6. num. 517.*

Lib. 1. Hymnos 2. in ejus laudem conscriptos, edidit Arnoldus Wion in ligno suo vitæ.

Henricus Fitz-Simon *Manchinanum authorem* [f] asserit *libri de mirabilibus Scripturæ*, qui extat in tomo III. operum S. Augustini, (cui etiam perperàm à quibusdam tribuitur.) Manchinum intelligit (opinor) de quo annales Ultonienses, ad an. 651. (qui nobis est 652.) *Dormitatio Manchin abbatis Maonadroiot.* Et Tigernachus ad eundem annum, *Dormitatio Mancene abbatis Menedrocaid.* In libro eo de mirabilibus Scripturæ, fit mentio temporis obitus Manichæi sapientis Hibernienſis, Manchini (ut opinor) nostri: Non abhorret nomen, & tempora exactè conveniunt. Unde Manchino (vel *Manchinano*) authori perperàm tribui, non possum non autumare.

[f] *Vid. Catal. præcipuor. SS. Hiberniæ edit. poster. Extat in (Jo. Rochei) Hiberniæ vindicijs, adversus Tho. Dempsterum.*

Arbogastus natione Hibernus, Argentinensis ecclesiæ (in Germaniâ) episcopus consecratus est anno Dom. 646. *Is peregrinus & Heremita* (inquit Gaspar Bruschius) *venit in Alsatiam, ibique in sacro nemore, eo penè loco ubi nunc Haganoa sita est, oratorium construens, Deo jejunijs & precibus diligenter servivit. Non ociosus tamen prorsus erat, Nam & prodibat & accolas de verâ Dei cognitione, de vero timore Dei, & verâ per filium Christum invocatione; reprehensis idololatricis cultibus, ac phanaticis opinionibus confutatis, diligentissimè erudiebat.* Hinc Dagoberto regi innotuit, à quo S. Amandi in ecclesiâ Argentinensi successor designatus anno 646. ibidem præfuit annis 12. *Decessit ex hâc vitâ anno Domini 658. Sepelitur juxta patibulum in colle quem D. Michaelis collem vocant. Id enim postulârat, imitaturus fatum Christi, qui etiam extra Hierosolymam in loco sceleratorum passus fuisset.* Sic Bruschius in libro suo de episcopis

[t] *Lib. de episc. Germaniæ.*

ſcopis Germaniæ. De Arbogaſto conſule etiam [u] Hen. Pantaleonem & [x] Sebaſtianum Munſterum. Scripſit ſecundum Balæum, *Homilias aliquot*, & ſecundum [y] Gul. Eyſengreinium, *in epiſtolas Pauli doctiſſimos commentarios.*

u *In Proſopograph. [illegible] illuſtr. Germaniæ.*
x *In Coſmograph.*
y *Catalog. teſtium veritatis.*

Aileranus ſcripſit *vitam S. Brigidæ.* Item *allegoricam expoſitionem genealogiæ Chriſti*, quam Sedulius poſteà collectaneis ſuis in S. Matthæi euangelium inſeruit, ut Sedulius ipſe in dictis collectaneis his verbis fatetur. *Incipit* (inquit) *typicus ac tropologicus genealogiæ Chriſti intellectus, quem S. Aileranus, Scottorum ſapientiſſimus expoſuit.* Hoc nuper me docuit illuſtriſ. archiepiſcopus Armachanus. Videtur etiam vitam S. Patricij ſcripſiſſe. Deceſſit anno 665. vel 664. ad quem annum obitum *Ailerani ſapientis* in annalibus Ultonienſibus annotatum comperi.

Cumminus *Fota* al. *Fada*, (id eſt longus) filius Fiacnæ regis *Iarmuman* i. occidentalis Momoniæ ſcripſit hymnum qui incipit *Celebra Iuda feſta Chriſti gaudia.* Mortem obijt anno æræ Chriſtianæ 661. vel 662. ætatis ſuæ, ſecundum Tigernacum 72. ſecundum alios, 57. Fortaſſe idem fuit cum Cummiano illo, cujus epiſtolam ad Segienum abbatem Huenſem & alios, de controverſiâ Paſchali, edidit anno 1632. Reverendiſſimus pater D. Iacobus archiepiſcopus Armachanus.

Cummianus al. Cummeneus albus cœnobij Huenſis abbas ſcripſit librum *de virtutibus Sancti Columbæ*, ut ex [z] Adamnano conſtat. Obitus ejus in annalibus Ultonienſibus ad an. 668. (qui nobis eſt 669.) refertur.

z *Vit. Col. lib. 3. cap. 3.*

Colmannus Lindiſſarnenſis epiſcopus poſt me-

morabile inter eum & Wilfridum archiepiſcopum Eboracenſem, in conventu Pharenſi, de Paſchatis obſervatione & verticis tonſurâ certamen, in quo Ofwini regis ſententiâ, ſuccubuit, hanc ignominiam ægerrimè ferens, abdicato epiſcopatu (cum Anglis quibuſdam, necnon Hibernis, qui ſecum in Angliam profecti fuerant) in Hiberniam redijt, ubi in inſulâ vaccæ albæ (Hibernicè Iniſ-bo-fin) ætatis fermè reliquum tranſegit. *Vir fuit alioqui* (inquit [a] Harpsfeldius) *magnæ virtutis abſtinentiæ & pietatis.* Cœnobium etiam conſtruxit in loco tunc *Magio* nunc *Maio* dicto. Conſtructionis monaſterij cauſam hanc reddit venerabilis Beda, cujus verba libenter uſurpo. Colmannus *in inſulam prædictam perveniens, conſtruxit monaſterium & monachos inibi quos de utraque natione collectos adduxerat, collocavit. Qui cum invicem concordare non poſſent, eo quod Scotti tempore æſtatis, quo fruges erant colligendæ, relicto monaſterio per nota ſibi loca diſperſi vagarentur: at verò hyeme ſuccedente redirent, & his quæ Angli præparaverant, communiter uti deſiderabant, quæſivit Colmannus huic diſſentioni remedium & circumiens omnia propè vel longè, invenit locum in Hiberniâ inſulâ, aptum Monaſterio conſtruendo, qui Linguâ Scottorum Magio nominatur, emitque partem ejus non grandem ad conſtruendum ibi monaſterium à comite, ad cujus poſſeſſionem pertinebat, eâ conditione additâ, ut pro ipſo etiam, qui eis locum cõmodaret conſiſtentes ibi monachi domino præces offerrent. Et conſtructo ſtatim monaſterio, juvante etiam comite & vicinis omnib⁹, Anglos* (inter quos fuit S. Geraldus) *ibidem collocavit, relictis in præfatâ inſulâ Scottis.* Deinde addit *Anglos illos ad exemplum venerabilium patrum ſub regulâ & abbate canonico, in magnâ continentiâ*

[a] *Hiſtor. eccleſ. Angl. Sæcul. 7. cap. 31.*

nentiâ & ſinceritate proprio labore manuum vixiſſe. In annalibus Tigernaci, *Navigatio Colmanni epiſcopi ad inſulam eam cum reliquijs ſanctorum* (inter quas fuerunt oſſa quædam S. Aidani) ad annum refertur 667. Scripſit juxta [c] Baleum *pro ſocijs Quartadecimanis, Lib. 1.* Et ſi fides [d] Dempſtero ſit adhibenda, *de tonſurâ clericorum, & exhortationem ad Hebridianos.* Mortem obijit 7. Iunij (quo die memoria ejus celebratur) anno Dom. 676. & in Eccleſiâ ſuâ Inisboſinenſi ſepultus eſt.

b *Vid. Bed. lib. 3. cap. 26.*
c *Centur. 14. num. 21.*
d *Hiſtor. eccleſ. Scot. lib. 3. num. 239.*

Cenfæla al. Cenfælad ſcripſit *poemata* quædam. Meminit illius [e] Tigernacus, ad an. 513. 533. & 562. Is idem fuit, opinor, cum Cenfæla *ſapiente*, quem è dicto Tigernaco mortem obijſſe intelligimus anno 678. vel 679. Ad quem annum ita etiam annales Ultonienſes. *An. 678. Cenſala mac Aililla mac Baodan ſapiens pauſat.*

e *In annal.*

Diſibodus al. Deſibodius epiſcopus Hibernicus, anno 675. vel 674. ſecundum Marianum Scotum, epiſcopatu abdicato, cum alijs viris doctis, Hiberniam deſerens, in Germaniam profectus eſt, ubi in loco qui ab ejus nomine (ſic Arnoldus Wion,) *mons Diſibodi vocatur*, monaſterium conſtruxit, in quo tandem morbis & extremâ ſenectute, quæ ipſa per ſe morbus eſt, (fuit enim octuagenario major) affictus, è vitâ migravit 8. Iulij. De anno nihil comperi. Scripſit ſecundum [f] Dempſterum (qui opus ſe vidiſſe aſſerit) *de monachorum profectu in ſolitudine agentium, Lib. 1.* vitam ejus deſcripſit Hildegardis monialis, quæ primò educata fuit ſub Iutta abbatiſſâ, in monte S. Diſibodi. Habetur apud Surium ad 8. Iulij. Epiſcopum fuiſſe Dublinienſem in Hibernjâ, ſcribit Iohannes Wilſo-

f *Hiſtor. eccleſiaſtic. Scot. lib. 4. num. 373.*

nus, in Anglico ſuo Martyrologio, Iulij 8. neſcio quo authore; Certè in authoribus ab eo citatis, hoc non habetur.

Maildulphus monachus Hibernicus, vir doctus, floruit anno Dom. 676. Is in Britanniam profectus, in loco quodam *Inglebarne* dicto, cœnobiolum condidit, ubi ludum aperiens, multos docuit, eruditione poſteà inſignes. Ab eo jam dictus locus (in agro Wiltonienſi ſitus) olim *Maildulfesburg*, ſed nunc vulgò *Malmesbury* appellatus, nomen accepit, ubi poſteà cœnobium fuit, Athelſtani regis & aliorum donis opulentiſſimum. g Scripſit *de Paſchæ obſervatione. Pro tonſurâ & celibatu. Regulas artium diverſarum. De diſciplinis naturalibus. Hymnos, Dialogos, epiſtolas* & alia quæ extare non videntur. Deceſſit admodùm ſenex Malmesburiæ, & in cœnobio ſuo ibidem ſepultus eſt. De eo vid. plura in Guil. Malmesbur. de geſtis regum Anglorum, Lib. 1. cap. 2.

g *Bal. Script. Brit. cent. 14. tit. 26.*

Sanctus Cuthbertus reguli cujuſdam Hibernici filius, natus eſt, ſecundum quoſdam, Kenanuſiæ, quam hodiè *Kells* dicimus, in agro Midenſi, ſecundum alios, in loco dicto *Kilmacudrick*, ad 4. à Dublinio lapidem, ac à matre Sabinâ, quæ peregrinationem, religionis ergo, Romam ſuſceperat, in cœnobio Mailroſenſi relictus, ibi monachus primùm, deinde Præpoſitus factus, id muneris magnâ cum laude adminiſtravit. Poſteà verò Eatæ epiſcopi Lindisfarnenſis ſuaſu, Lindisfarnam perijt, unde tamen in inſulam Farnenſem (9. fermè milliaribus à Lindisfarnâ in mari diſtantem) trajecit, ubi eremiticam duxit vitam, donec in epiſcopum electus, ægrè tandem, (multis nimirùm Egfridi regis & aliorum precibus evictus) manus

nus dedit, & conſecrationem accepit Eboraci, rege ipſo coram, â Theodoro archiepiſcopo Eboracenſi, die Paſchatis anno 684. *Electus autem primò* (h Bedam audis) *in epiſcopatum Haguſtaldenſis eccleſiæ, pro Trumberto qui ab epiſcopatu fuerat depoſitus, ſed quoniam ipſe plus Lindisfarnenſi eccleſiæ in quâ converſatus fuerat, dilexit præſici, placuit ut Eatâ reverſo, ad ſedem eccleſiæ Haguſtaldenſis, cui regendo primo fuerat ordinatus, Cudbertus eccleſiæ Lindisfarnenſis gubernacula ſuſciperet.* Et poſt pauca, *Duobus autem annis in epiſcopatu peractis, repetyit inſulam* Farnenſem *ac monaſterium ſuum*, ubi diem clauſit extremum 20. Martij 686. i Scripſiſſe dicitur

h *Lib.4.cap.28*

i *Bal. Centur.1. num.81.*

Ordinationes ſuæ eccleſiæ, Lib.1.

Prima Regula eſt de Domino.

Præcepta vitæ regularis, Lib.1.

Vitam ejus deſcripſit venerabilis Beda, tam proſâ, quam k carmine Heroico. Eccleſiam de Kilmacudrick illius memoriæ fuiſſe dicatam, è l regeſto Decani S. Patricij Dublin. intelligimus.

k *Vid.Hen.Caniſ. Tom.5. antiq.Lection.s.*

l *Fol. 106.a.*

S. Kilianus, natione Hibernus, Franconiæ dictus Apoſtolus, monachus primùm, deinde abbas neſcio cujus cœnobij, patriam itidem deſerens, in Germaniam unà cum Colmano & Totnano ſocijs trajecit, ubi epiſcopus factus Wirtburgenſis ſive Herbipolitanus ſub anno 686. Gosbertum ducem, & totam fermè Franconiam, ab idolorum cultu, ad fidem Chriſti convertiſſe dicitur. Gosbertus is, dùm Paganus, Geilanam uxorem fratris ſui duxerat: ob quem inceſtum, Kilianus (tanquàm alter Ioannes Baptiſta,) eum poſteà meritò reprehendit, utpote lege divinâ prohibitum, ideóq; divortium ſuaſit. A

piæ

piæ hujus admonitionis ſucceſſu, ipſe & ſocij martyrum nomina obtinuerunt: ſiquidem per Geilanæ (inde irritatæ) malas artes, crudeliſſimè interfecti ſunt [m] 8. Iulij anno Chriſti 689. Oſſa eorum poſteà à S. Burchardo ejuſdem loci epiſcopo tranſlata & decenter condita ferunt. Unde verſiculi.

m *Conſul. Beda martyrolog. ad 8. Id. Julij. & Thadæum abbatem Scotorum Ratisbonæ à Caniſio editum, Tom. 4. antiq. lect.*

Hi ſunt, Herbipolis, qui te docuere magiſtri,
Quâ verum coleres relligione Deum.
Impia quos tandem juſsit Geilana necari,
Celavitq; ſub hunc corpora cæſa locum:
Ne turpi, ſine laude ſitu, defoſſa jacerent
Corpora, Burkardus ſub monumenta locat.

Scripſiſſe dicitur *contra Arianiſmum, & contra peregrinos cultus.* Poſterioris operis meminit Ant. Poſſevinus in apparatu ſacro, ubi Kilianum *Scotum* appellat. Sed cujus Scotiæ, præter Mariani teſtimonium, docet Egilwardus monachus cœnobij S. Burchardi prope Herbipolim, vel quicunque ſcriptor fuit vitæ S. Kiliani ab Hen. Caniſio editus, tomo 4. antiquæ lectionis. *Beatus Kilianus* (inquit) *Scotorum genere, nobilibus ortus parentibus, divinæ tamen gratiæ factus eſt nobilitate clariſsimus. Scotia quæ & Hibernia dicitur, inſula eſt maris Oceani, fœcunda quidem glebis, ſed ſanctiſsimis clarior viris, ex quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Teutonica nobilitatur Francia.* Habetur porrò apud Suriũ ad 8. Iulij. Cæterùm antiquam Scotiam fuiſſe inſulam, indagatori etiã patebit, è [n] locis in margine citatis. Recentiorum teſtimonia libenter prætermitto.

n *Author de excidio Hieroſol. ſive Hegeſippus is ſit, ſive quis alius. Lib. 5. cap. 15. Iſidor. Hiſpal. orig. lib. 14. cap. 6. Adamnan. vit. Columbæ, lib. 1. cap. 12. Bed. hiſtor. eccleſ. lib. 3. cap. 19. & Sur. ex vet. auth. ad 8. Maij.*

De

De Theodoro ita Sigebertus in catalogo ſuo, *Theodorus Scotorum archiepiſcopus à Vitaliano Papâ, ad Scotiam directus, ſcripſit Pœnitentialem librum, diſtinguens modum peccandi.* Theodorus is, à correctoribus Romanis, ad Gratiani diſtinct. 82. cap. 5. (ex libro MS. ut fertur pervetuſto Michaelis Thomaſij epiſcopi Ilerdenſis) archiepiſcopus *Hibernenſis* appellatur, ſed rectiùs ab Antonio Auguſtino ad eundem locum, Theodorus Cantuarienſis, ille nimirùm qui Romæ conſecratus Aprilis 1. an. 668. cùm archiepiſcopatui præfuiſſet annos 22. è vitâ migravit Septembris 19. anno Salutis 690. Et ° Dempſterus ipſe, *non Scotiæ, ſed Angliæ deſtinatum illum antiſtitem* fatetur.

° *Hiſtor. eccleſ. Scot. lib. 18. num. 1106.*

Adamnanus (Trithemio & alijs Adamanus) quem Beda *virum bonum* appellat *& ſapientem & ſcientiâ ſcripturarum nobiliſſimè inſtructum*, defuncto Failbæo Huenſis cœnobij abbati, ſucceſſit anno DCLXXIX. Annoq; DCCI. in Britanniam, ad Alfridum Northumbrorum Regem miſſus Legatus, dum ibi hæreret, verum Paſchatis celebrandi tempus, (rejecto illo ritu, quem à majoribus acceperat) approbare inductus eſt. *Et cùm domum rediiſſet* (P Bedam iterùm audis) *curavit ſuos qui erant in Hu, quive eidem erant ſubditi monaſterio, ad eum quem cognoverat, quemq; ipſe ex toto corde ſuſceperat, veritatis callem perducere, nec valuit. Navigavit itáq; Hiberniam, & prædicans eis ac modeſtâ exhortatione declarans legitimum Paſchæ tempus, plurimos eorum & pene omnes, qui ab Hyenſium erant dominio liberi, ab errore correctos, ad unitatem reduxit catholicam, ac legitimum Paſchæ tempus obſervare perdocuit. Qui cùm celebrato in Hibernià canonico Paſchate,*

P *Bed. hiſtor. gent. Anglo. lib. 5. cap. 16.*

ad ſuam inſulam revertiſſet, ſuiſq; in Monaſterio catholicam temporis Paſchalis obſervantiam inſtantiſſimè prædicaret, nec tamen perficere quod conabatur poſſet, contigit eum ante expletum anni circulum migrâſſe de ſeculo, &c. Scripſit Adamnanus (S. Cainicum & Cummianum imitatus,) *de vitâ S. Columbæ lib. 3.* quos Ingolſtadij anno 1604. è MS°. cœnobij Windbergenſis in lucem emiſit Henricus Caniſius. [q] Item librum *de locis terræ ſanctæ* (ex relatione Arculphi epiſcopi Gallicani) quem edidit Iacobus Gretſerus. Cæterùm *libri hujus auctorem magis fuiſſe Arculphum quam Adamannum* è Bedæ ſuprà citato capite colligit [r] Gerardus Io. Voſſius. Verba Bedæ ſunt iſta: *Scripſit idem* (Adamnanus) *de locis ſanctis librum legentibus multum utiliſsimum, cujus auctor erat docendo ac dictando Galliarum Epiſcopus Arculfus, qui locorum gratia ſanctorum venerat Hieroſolymam. Et luſtrata omni terra repromiſſionis, Damaſcum quoque, Conſtantinopolim, Alexandriam multáſq; maris inſulas adierat, patriámque navigio revertens vi tempeſtatis in Occidentalia Britanniæ litora delatus eſt. Ac poſt multa ad memoratum Chriſti famulum Adamnanum perveniens, ubi doctus in ſcripturis ſanctorúmq; locorum gnarus eſſe compertus eſt, libentiſsimè eſt ab illo ſuſceptus, libentiùs auditus, adeò ut quæque ille ſe in locis ſanctis memoratu digna vidiſſe teſtabatur, cuncta mox ille litteris mandare curaverit. Fecítq; opus (ut dixi) multis utile, & maximè illis qui longius ab eis locis, in quibus Patriarchæ & Apoſtoli erant, ſecreti, ea tantum de his quæ lectione didicerint norunt. Porrexit autem librum hunc Adamnanus Alfrido regi, ac per ejus eſt largitionem etiam minoribus ad legendum contraditus. Scriptor quoque ipſe multis*

[q] *Ibid.*

[r] *De hiſtoricis Latinis, lib. 2. cap. 27.*

multis ab eo muneribus donatus, in patriam remiſſus eſt. De cujus ſcriptis aliqua decerpere, ac noſtræ huic hiſtoriæ inſerere commodum fore legentibus reor. Extant porrò in libro vetere Canonum in bibliothecâ Cottonianâ, *Adomnani Canones*, quorum primus his verbis ſequitur, *Maritima animalia ad littora delata, quorum mortes neſcimus, ſumenda ſunt ſanâ fide, niſi ſint putrida.* Dicitur etiam ſcripſiſſe (*præter epiſtolas quaſdam,*) *de Paſchate legitimo, Lib.* 1. Obijt 23. Octobris anno Dom. 704. vitæ ſuæ 74. vel ut alij tradunt 80. [Reliquiæ ejus in Hiberniam tranſlatæ, an. 727. poſt triennium, menſe nimirùm Octobri 730. ad cœnobium Huenſe denuò reportatæ ſunt. [*Annal. Ulton.*

Oengus *mac Tiprait* Sacerdos vel abbas (ut alij habent) *de Cluainfata Boetan*, ſcripſit hymnum qui incipit *Martine te deprecor*, tempore quo Adamnanus viſitavit cellas S. Columbæ in Hiberniâ. Incidit ea viſitatio in an. Domini 691. Sed vixit Oengus uſque ad an. 745. quo mortem obijſſe ex annalibus Ultonienſibus intelligimus.

Cap. IIII.

Scriptores ſeculi octavi. Sedulius junior. Cuchumne. Comanus. Albuinus al. Witta. Ciaranus de Belaigduin. Virgilius. Æneas al. Engus. Dicuil.

SEdulius junior interfuit concilio Romano,[a] *habito ipſis Nonis Aprilis, Anno D. 721. ſub Gregorio 2. adverſus illicita conjugia* (unâ cum *Fergusto Epiſcopo Scotiæ Picto.*) Decreto ita ſubſcripſit, *Sedulius epiſcopus* [a] *Vid. Tom. 5. concil. à Severino Binio edit.*

Britanniæ, de genere Scotorum [b] *huic conſtituto à nobis promulgato ſubſcripſit:* Poſteris reliquit *Collectanea in S. Matthæi euangelium*, quæ Pariſijs MSS. extare dicuntur. Ejus porrò, vel Sedulij poſterioris qui floruiſſe dicitur, anno 818. commentarij putantur *in majus volumen Priſciani, in ſecundam editionem Donati & in artem Eutichij.*

[b] *Hinc Sedulium ſcripſiſſe ſtatuta ejuſdem concilij ſuo more addit Balæus. Cent. 14. n. 28.*

Cuchumne hymnum fecit in laudem B. Mariæ virginis cujus initium eſt, *Cantemus in omni die.* Deceſſit an. 746. ad quem an. *Cuchumnem ſapientem* quieviſſe notant annales Ultonienſes.

S. Comanus ſcripſit *regulam monaſticam.* Obijt Roſſæ (ſive Roſcomaniæ) in Conacia (ubi præfuerat epiſcopus) an. 747. vel 746. ad [c] quem annum ita annales cœnobij Buellienſis. *Anno 746. Comanus Roſiæ vir ſanctiſſimus in Chriſto quievit. Legem Comani & Aodani* ſucceſſoris ejus in *tribus partibus Conaciæ receptam*, docet ad an. 771. author annalium Ultonienſium, ubi per legem, intelligit regulas, (opinor) vel conſtitutiones ab ijs approbatas. Diverſus is fuit à Comano illo S. Finani Clonardenſis diſcipulo, qui Roſſæ (quæ ab ejus nomine Roſcoman dici cœpit) cœnobium condidit, nam tempora non conveniunt, niſi quis exiſtimet (quod vix credibile eſt) eum pluſquam ducentos annos vixiſſe.

[c] *In annal. Ulton.* ad eundem an. *Pauſatio Comani religioſi in Droes.*

Albuinus, alijs Witta, Whitus & Witanus, floruit an. 742. Is *egreſſus de Hiberniâ*, ([d] Trithemij verba ſunt) *prædicationis cauſâ, venit in Thuringiam, ubi Friſlarenſis epiſcopus ordinatus eſt*, vel potiùs Buraburgenſis, juxta Friſlaram, quæ ſedes circa an. ſalutis 794. epiſcopatui Paderbornenſi conjuncta eſt, ut è Serario liquet in Rerum Moguntinarum, lib. 3. ubi etiam feſtum ejus

[d] *Vid. Trithem. de viris illuſtribus ord. Benedict. lib. 4. cap. 190. & lib. 3. cap. 167.*

agi

agi dicitur 7. Cal. Novembris. Scripſiſſe fertur (quàm verè neſcio)[c] *ad Thuringos, lib. 1.*

[c] *Dempſter. Hiſtor. eccleſ. Scot. lib. 1. n. 31.*

Ciaranus al. Kiaranus *de Belaigduin* ſcripſit vitam S. Patricij. Obijt anno Dom. 778.

Virgilius, familiâ ortus nobili & antiquâ in Hiberniâ, patriâ tandem relictâ, in Galliam transfretavit, ubi in curiâ Pipini regis, (à quo propter eruditionem & morum comitatem, benignè fuit exceptus,) per biennium vixit. Tum verò à rege ad Otilonem Bavariæ ducem miſſus, ut epiſcopatui Saltzburgenſi præficeretur, poſt duos etiam annos in eâ provinciâ exactos, conſecratus eſt 15. Iunij, anno 767. Eodemq; anno novæ eccleſiæ cathedralis fundamenta Saltzburgi jecit, quam 13. poſt anno abſolutam in honorem S. Ruperti conſecravit, cujus oſſa tunc illùc tranſtulit. Virgilius hic & Sidonius ſcripſerunt ad Zachariam PP. *epiſtolam* contra Bonifacium Moguntinum archiepiſcopum. Putatur etiam Virgilius ſcripſiſſe *Gloſſarium*, à Melchiore Goldaſto in notis ad Columbanum citatum, & *de Antipodibus*. Obijt 5. Cal. Decembris, anno 785. vel 784. Vide ſi placet plura apud Hen. Caniſium in tomis ſuis antiquæ lectionis, & apud Aventinum & Velſerum, rerum Boicarum ſcriptores, de controverſiâ inter eum & Bonifacium, circa Antipodes, in quâ cauſâ Virgilius noſter immeritò ſuccubuit. Anno tandem 1233. à Gregorio IX. inter ſanctos relatus eſt.

Sub exitum hujus ſeculi Æneas ſive Engus epiſcopus filius *Oengobhan* ſcripſit martyrologium, verſibus Hibernicis, quod etiamnùm extat.

Dicuil al. Dicul ſcripſit librum *de menſurâ provinciarum orbis terræ, ſecundum illorum autoritatem* (ut ipſe

loquitur) *quos S. Theodosius imperator ad provincias prædictas mensurandas miserat.* Liber MS. extat. Scripsit porrò *de 10. quæstionibus artis Grammaticæ.* Hibernum fuisse è suis verbis colligimus, *Circum nostram* (inquit) *insulam Hiberniam sunt insulæ, sed aliæ parvæ, atque aliæ minimæ* &c. Quando scripserit ignoratur. Videtur tamen vixisse & scripsisse sub exitum hujus seculi, nisi eundem fuisse suspicemur cum *Dicola sapiente* quem anno 710. i. æræ nostræ 711. mortem obijsse docent annales Ultonienses.

Cap. V.

Scriptores seculi noni. Albinus. Clemens. Claudius. Donatus. Andreas. Scriptor vitæ S. Findani. Feidlemidus. Patricius abbas. Iohannes Erigena. Suibneus.

ALbinus natione Hibernus, patriam ob tumultus bellicos deserens, unà cum Clemente collegâ in Galliam profectus est, ubi ob eruditionem & alias virtutes, Carolo magno valdè charus fuit. Carolus is sub ann. 792. duas academias fundavit, unam Lutetiæ Parisiorum in Galliâ, alteram Ticini sive Papiæ in Italiâ: Illis duos hos Hibernos præfecisse fertur, Parisiensi Clementem, Balæo Claudium Clementē dictum, & Ticinensi Albinum. De hâc re sic [a] Polydorus Virgilius. *Alcuinus* (inquit) *homo Anglus, in Galliâ deinde moratus, Lutetiæ Parisiorum bonas litteras profiteri cæpit eóq; authore non multò pòst, ipse Carolus in eâ urbe primus Gymnasium collocavit, & in Italiâ Ticini, quæ nunc Papia nuncupatur, alterum. Fuit is annus Salutis 792. cùm duos ferunt monachos ex Hiberniâ sive ex Scotiâ,*

[a] *Lib. 5. Hist. Angl.*

tiâ, *ut quibuſdam placet, in Galliam delatos, ſe ſapientiam venalem habere magnâ voce teſtantes, mercedis loco cibaria & veſtiaria duntaxat petiſſe: & iſtorum alterum qui Clemens nominabatur à Carolo Lutetiæ detentum eíq; ex omni ordine civitatis traditos juvenes, in diſciplinam: alterum verò in Italiam tranſire juſſum, ac Ticini docuiſſe.* Cæterùm dubium illud de patriâ Clementis & Albini, tollit (meâ ſaltem opinione) Notkerus Balbulus, vetuſtus cœnobij Sangallenſis monachus lib. de geſtis Caroli magni, quem ex MS. cod. Bavarico edidit Henricus Caniſius anno Dom. 1601. tomo 1. antiquæ lectionis. *Omnipotens rerum diſpoſitor ordinatórq; regnorum & temporum* (ſic ipſe loquitur) * *cùm illius admirandæ ſtatuæ pedes ferreos vel teſtaceos comminuiſſet, in Romanis alterius non minùs admirabilis ſtatuæ caput aureum per illuſtrem Carolum erexit in Francis, qui cùm in occiduis mundi partibus regnare cæpiſſet & ſtudia literarum ubiq; propemodum eſſent in oblivione, contigit duos Scotos de Hibernià, cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, viros & in ſæcularibus & in ſacris literis incomparabiliter eruditos. Qui cùm nihil oſtenderent vænale, ad convenientes emendi gratiâ turbas clamare ſolebant.* Si quis ſapientiæ cupidus eſt, veniat ad nos, & accipiat eam: Nam vænalis eſt apud nos. *Quam tamen vænalem ſe habere profeſſi ſunt, quia populum non gratuita ſed vænalia mercari viderunt, ut ſic vel ſapientiæ cum cæteris rebus coëmendis, omnes incitarent, vel ſicut ſequentia comprobant, per tale præconium, in admirationem verterent & ſtuporem. Deniq; tam diu clamata ſunt iſta, donec ab admirantibus, vel inſanos illos putantibus, ad aures Caroli Regis, ſemper amatoris & cupidiſſimi ſapientiæ*

* Dan. 2.

pientia prolata fuissent, qui sub omni celeritate, ad suam eos præsentiam evocatos interrogavit, si verè, ut ipsa fama comperit, sapientiam secum haberent. Qui dixerunt; Et habemus eam, & in nomine Domini dignè quærentibus dare parati sumus. Qui cùm inquisisset ab illis, quid pro scientiâ ipsâ peterent, responderunt loca tantum opportuna & animo * ingenioſi; & sine quibus peregrinatio transigi non potest; alimenta, & quibus tegamur. Quibus ille perceptis, ingenti gaudio repletus, primùm quidem apud se utrúmque parvo tempore tenuit: Posteà verò cùm ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine Clementem in Galliâ residere præcepit, cui & pueros nobilissimos, mediocres & infimos satis multos commendavit, & eis prout necessarium habuerant, victualia ministrari præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis: Alterum verò nomine Albinum in Italiam direxit, cui & monasterium S. Augustini, juxta Ticinensem urbem delegavit; ut illuc ad eum, qui voluissent, ad discendum congregari potuissent. Audito autem Albinus de natione Anglorum, quàm gratanter sapientes viros, religiosissimus regum Carolus susciperet, conscensâ navi, venit ad eum &c. Hæc author ille antiquus, cujus verba huc usq; habemus etiam in [b] Vincentij speculo Historiali. Non desunt qui Albinum hunc & Alcuinum Anglum confundunt. De his vide plura in D. Rothæi Brigidâ Thaumaturgâ. Ex operibus ejus extant epistolæ quædam, &, ut videtur, [c] Rhetorica præcepta, quæ Albino Flacco sive Alcuino, vulgò tribuuntur. Albinum scripsisse contra decretum Concilij Nicæni secundi, de adorandis imaginibus, asserit Hovedenus ad annum 792. ejusque verbis de ea re usus est Matthæus Westmonasterienſis ad ann. 793. Sed opus illud

* al. ingenioſos.

b Lib. 23. cap. 173.

c Vid. R. D. Jac. Usserij Archiep. Armac. præfat. in vet. epistol. Hib. syllog.

illud à [d] clariſſimo D.Hē.Spelmano Eq.rectè(ut opinor) tribuitur Alcuino, aliàs dicto Albino Flacco.

Albini ſocius Clemens (de quo ſuprà in Albino,) ſcripſit [e] *Grammatica quædam Collectanea.* *Neque alius videtur eſſe Clemens, vitæ Caroli magni exarator, in Catalogo authorum, quorum teſtimonia à Wolfgango Lazio in Commentarijs Reipublicæ Romanæ producuntur, nominatus.* Hunc primus (quod ſciam) Claudium Clementem appellavit [f] Balæus, & malè tàm cum Claudio ſequente, quàm cum [g] Clemente Antiſſiodorenſi epiſcopo confudit. Inter opera, quæ ſub nomine ejus feruntur, *ſumma quædam*, & *de Euangeliſtarum concordiâ, Lib. 1.* fortaſſè rectiùs tribuantur Clementi Lanthonienſi Canonico, De quo videndus [h] Balæus.

Claudius, (quem perperàm [i] Trithemius & ejus ſequaces Bedæ diſcipulum appellant) vir pius & doctus, floruit anno 815. & ſub eo tempore ſcripſit *commentarium in S. Matthæum*, ut ex præfatione ejuſdem liquet, in quâ, expeditionis Ludovici pij Imperatoris adverſùs Northmannos fit mentio. Dicitur etiam ſcripſiſſe *in omnes epiſtolas S. Pauli, commentarios in Pentateuchum, in libros Ioſuæ, Iudicum, Ruthæ & in Pſalmos.* Item *memoriale hiſtoriarum, Summam quandam, Homilias, & de Euangeliſtarum concordiâ. Extare in epiſtolas Pauli, Claudij commentarios MSS. Caſſini, ſub nomine Claudij epiſcopi Antiſſiodori, literâ Longobardicâ, in pluteo quinto ad lævam* aſſerit [k] Poſſevinus. Sed quàm verè quærant alij, Certè in catalogo epiſcoporum Antiſſiodorenſium à Democharе edito, nulla fit Claudij mentio. De *ſummâ, & Euangeliſtarum concordiâ*, vide quæ ſuprà diximus in Clemente.

[d] *Concil. Britannic. tom. 1. pag. 306.*

[e] *Vid. præfationem ſuprà citat. ſyllog.*

[f] *Scriptor. Britan. Centur. 14. num. 33.*

[g] *Vid. Ant. Democharis Catal. Antiſſiod. epiſcoporum, ubi Clementem illum, noſtro Clemente antiquiorem fuiſſe liquet.*

[h] *Centur. 3. n. 2.*

[i] *De viris illuſtribus ord. S. Bened. lib. 2. cap. 28.*

[k] *Apparat. ſac. tom. 1. Vid. etiam Arnold. Wion. Addition. ad lign. m vitæ.*

Donatus patriâ itidem relictâ, unà cum collegâ Andreâ, Galliam & Italiam peragravit, ac in Hetruria ſive Tuſcia, ad tempus, eremiticam duxit vitam, donec epiſcopus Feſulanus electus eſt, in quo munere propter egregias virtutes celebris evaſit. Scripſit (l ut fertur) *de peregrinatione ſuâ, lib. 1. De officio ſuæ eccleſiæ, Lib. 1. & Commentaria in ſacras Scripturas.* Claruit an. 840. Liber MS. de vitâ ejus extare dicitur *in bibliothecâ Fratrũ Prædicatorum de urbe ſupra Minervam.* Feſtum ejus agitur 22. Octobris. A quibuſdam cum Donato Grammatico malè confunditur.

l *Dempſter. Hiſt. eccl. Scot. lib. 4. n. 366.*

Andreas archidiaconus Feſulanus, dictique Donati fidus Achates m ſcripſiſſe dicitur *de pœnitentiæ bono lib. 1. De Eleemoſynæ effectu, Lib. 1. Ad fratres à ſe indutos, lib. 1. De actis Donati Magiſtri, Lib. 1. & Moralium dictionum Lib. 1.* De libris Donato & Andreæ aſcriptis, ſit fides penes Dempſterum.

m *Dempſter. Hiſt. eccl. Scot. lib. 1. n. 31.*

Sub hoc tempore vixit ſcriptor vitæ S. Findani filij principis Lageniæ, à Melchiore Goldaſto editus, tomo 1. Scriptorum rerum Alamannicarum, pag. 318. Findanus is à Danis an. 795. (ſub quo tempore Dani Hiberniam primò infeſtârunt) captivus ductus, ſed mirabili modo è manibus eorum elapſus, Romam adijt, unde reverſus, in Germania vixit annis 27. Eremita primùm deinde abbas Rhein-Augienſis cœnobij in peninſulâ Rheni, quod ipſe fundavit, ubi & mortuus eſt, anno 827. De eo vid. plura in dicta vita à ſocio ejus Hiberno conſcripta.

Feidlemidus (Crimhaini filius) rex Momoniæ claruit anno 840. Quædam ſcripſiſſe dicitur, ſed & opera & tituli perierunt. Hunc author annalium Ultonienſium ad annum 846. vel 847. quo obijt, *Optimum*

mum Scotorum, Scribam præterea & Anachoritam appellat. Is idem fortaſſe fuit cum Fedlemidio illo, quem [n] Giraldus Barrius Cambrenſis regem appellat Hiberniæ, cujus tempore Norwegienſes Hiberniam *expugnâſſe* aſſerit ſub ductu Turgeſij. Sed de hac re quærant alij.

[n] *De mirabil. Hib. diſtinct. 3. cap. 37.*

Patricius abbas ſcripſiſſe fertur [o] *Homiliarum Lib. 1. & epiſtolas quaſdam ad Hibernos.* [p] Ad eum à quibuſdam refertur inventio antri illius in Lacu *Derg*, quod S. Patricij Purgatorium nominatur. Vixit circa annum 850. Obiiſſe dicitur in cœnobio Glaſtonienſi in Anglia ipſo die S. Bartholomæi. In martyrologio Romano, ad 24. Auguſti habetur commemoratio *S. Patricij abbatis*, ſed * *Nivernis*, non Glaſtoniæ, celebrata. Meminit illius ad eundem diem [q] Andreas Sauſſaius. *Eodem die* (inquit) *Nivernis S. Patricij Eremitæ & Confeſſoris, qui in Arverniâ clarâ propagine ortus, longè Sanctitate, humilitate, morumque integritate, natalibus illuſtrior extitit, &c.* unde diverſum fuiſſe à Patricio noſtro liquet. Idem Sauſſaius in ſupplimento ad martyrologium. ad 1. Nov. hæc addit, *Nivernis natalis S. Patricij martyris, In hujus præſulatus territorio dùm divinam tueretur legem necati.* An idem ſit tum priore ignoratur.

[o] *Stanihurſt. deſcr. Hib. cap. 7.*
[p] *Ranulph. Higden. Polychron. lib. 5. cap. 4. Johan. Bal. centur. 1. n. 44. in append. & Hen. Knighton. Chro. lib. 2.*
* *Nevers* in Gallia.
[q] *In Martyrol. Gallicano.*

Iohannes Erigena, i. Hibernus, (Nam Hibernia ab incolis *Erin* appellatur) [r] *vir perſpicacis ingenij & multæ facundiæ*, à teneris annis literis aſſiduam, in patria ſua, navavit operam. Iuvenis in Galliam, ad Carolum Calvum profectus eſt: Unde anno 884. vel (ſecundum Florilegum) 883. ab Alphredo rege accerſitus, in Angliam pervenit, ejuſque operâ, paucis poſt annis rex uſus eſt in bonis literis [s] Oxoniæ reſtauran-

[r] *Gul. Malmeſbur. lib. 2. de geſtis reg. Angl. cap. 4. vid. porrò Rog. Hoveden.*
[s] *Eum autem, Cantabrigienſem, & perperàm Bedæ diſcipulum fuiſſe contendit Jo. Caius De antiq. Cantab. lib. 1. pag. 211.*

dis. De hac re, audi si placet, annales novi cœnobij Wintoniæ, è [t] Camdeno & Harpsfeldio; nam Annales ipsos nondum vidi. *Anno Dominicæ incarnationis 886. anno 2. adventus S. Grimbaldi in Angliam, inceptæ est Universitas Oxoniæ, primitùs in eadem regentibus, ac in Sancta Theologia Legentibus, Sancto Neotho abbate, necnon in Theologiâ doctore egregio, & S. Grimbaldo Sacræ paginæ suavissima dulcedinis excellentissimo professore. In Grammaticâ verò ac Rhetoricâ regente Asserο monacho, & in arte Literatoriâ viro eruditissimo. In Dialecticâ verò, Musicâ, Arithmeticâ, Iohanne monacho Menevensis ecclesiæ. In Geometriâ & Astronomiâ docente Iohanne* (Erigenâ sc.) *monacho & collegâ S. Grimbaldi, viro acutissimi ingenij & undecunq; doctissimo, præsente Glorioſissimo & invictissima rege Alfredo, cujus in omni ore, quasi mel indulcabitur memoria, & totius regni sui clero & populo. Vbi idem rex prudentissimus Alphredus tale decretum edidit, videlicet ut optimates sui filios suos, vel si filios suos non haberent, saltem servos suos, si ingenio pollerent, literis accommodarent.* Erigena noster (quem aliqui cum Io. Mailrosso Bedæ discipulo, & alij cum Io. Menevensi perperàm confundunt) post triennium vel circiter, propter discordias quasdam inter Grimbaldum & socios quos secum illuc adduxerat, & veteres illos scholasticos, quos ibidem invenerat, exortas, (de quibus Asserium petas) ad cœnobium Malmesburiense se contulit, *ubi à pueris* (inquit [u] Gul. Malmesburiensis) *quos docebat, graphijs ut fertur perforatus, etiam martyr æstimatus est.* Tumulum habuit ibidem in sinistro latere altaris ita inscriptum.

Clauditur hoc tumulo sanctus sophista Iohannes,
Qui ditatus erat, jam vivens, dogmate miro,
Martyrio

[t] *Camden. Britan. edit. Lond. 1607. pag. 267. & Harpsfeld. Hist. eccles. Angl. secul. 9. cap. 5.*

[u] *De Alphred. rebus gestis. ad ann. 886. Vid. etiam Polychron. lib. 5. cap. 32.*

Martyrio tandem Christi conscendere regnum,
Quo, meruit, sancti regnant per secula cuncti.

Memoria ejus celebratur 4. Idus Novembris, ut è Martyrologio Romano, Gregorij XIII. jussu edito Antuerpiæ anno 1586. constat. Hunc (inquit * Hen. Fitz-Simon) *Baronius expunxit ex Martyrologio*, &c. Addit verò *pro eo paratam esse apologiam, plurimorum, ac maximorum Pontificum, Cardinalium, Doctorum calculis comprobatam.* Sed eam nondũ editam vidimus. Scripsit *de unicâ prædestinatione, Lib. 1.* E Græco in Latinum transtulit Dionysij Areopagitæ libros, x *de cœlesti Hierarchiâ, de ecclesiasticâ Hierarchiâ, de divinis nominibus & de mysticâ Theologiâ.* Hanc translationem Carolo *Calvo* (Ludovici Imperatoris filio) dicavit. Tradit porrò Balæus *transtulisse eum in tres linguas, scilicet, Caldaicam, Arabicam & Latinam, Aristotelis moralia, de secretis secretorum, seu recto regimine principum.* Item scripsisse *de immaculatis mysterijs, de de fide contra Barbaros, De corpore & sanguine Domini, Pro instituendâ juventute paraphrasticos tomos, Dogmata Philosophorum, Carmina, epistolas, & Homilias.* His addunt alij *super Canones Anachelis, Lib. 1.* At rectiùs fortasse liber iste Iohanni Mailrosso tribuatur. Erigenæ y *putantur esse excerpta illa, quæ inter Macrobij scripta feruntur*, de differentijs & societatibus Græci Latiniq; verbi, *hâc ad finem notatione adjectâ.* Explicit defloratio de libro Ambrosij Macrobij Theodosij, quam Iohannes carpserat ad discendas Græcorum verborum regulas. Parisijs etiam (ut accepi) in Thuanâ bibliothecâ habentur Libri II. qui putantur esse *Iohannis Erigenæ* Scoti, *De naturæ divisione.* Ioannem nostrum, è natali solo in exilium pellere, frustrà:

* *In 2. edit. Catal. SS. Hib.*

x *Vid. Jo. Trithem. de Scriptor. eccleſiaſt. & Gul. Eyſengrein. catalog. teſtium veritatis.*

y *Vid. Illuſtriſſ. Archiep. Armac. epiſtol. Hiber. recenſ. pag. 135.*

fruſtrà ſatagit [z] Dempſterus in eccleſiaſticâ ſuâ hiſtoriâ Gentis Scotorum, primùm ſub nomine *S. Iohannis Airigina*, deinde ſub nomine *S. Iohannis Magiſtri ſive Scoti.*

[z] *Lib. 1. num. 64. & li. 9. num. 704.*

Suibneus Anachoreta Clonmacnoiſenſis, quem annales Ultonienſes *Scribam optimum* appellant, deceſſit anno Domini 891. Hic, puto, Suiſneh ille fuit, quem [a] Florentius Wigornienſis *Doctorem Scotorum peritiſſimum* appellat, & obiiſſe aſſerit anno 892. Opera ejus & tituli perierunt. Præter eum, multos olim viros doctos apud Hibernos, *ſcribas* appellatos, in annalibus noſtris indagatori patebit, atq; inter alios Cormacum Culinani filium, de quo mox plura, & Celeum, de quo ita annales Ultonienſes, *Anno 928. Cele Comorbanus Comgalli, Scriba, anachoreta, & Apoſtolicus doctor totius Hiberniæ, anno 59. ætatis ſuæ 18. Cal. Octobris, in peregrinatione feliciter Romæ quievit.* De ſcribarum illorum munere, quid ſit ſentiendum, non omninò certum eſt. Hebræorum *ſcribas*, interpretes vertunt Lectores & Doctores Legis. Quod ad veteres eos Hibernorum *Scribas* attinet: Non poſſum non per eos intelligere Theologiæ Lectores.

[a] *Ad an. 892.*

Cap. VI.

Scriptores ſeculi decimi, ob Scriptorum inopiam, ſeculi obſcuri & infelicis dicti. Cormacus Culinani filius. Probus.

VEnio ad Cormacum Culinani filium, qui Finano regi Caſſelienſi, ſuorum perfidiâ interempto, ſucceſſor declaratus eſt anno 901. Is ſtemma ſuum duxit

duxit ab Enguſâ, Caſſelienſium regum primo, qui Chriſtianam religionem amplexus eſt. Caſſeliæ eccleſiam erexit cathedralem, cui ipſe epiſcopi munus (quod mireris) obivit. Morem eum, apud Hibernos, illo ævo viguiſſe, ſcriptores patrij luculenter oſtendunt. At non ſine exemplo. Nam inter Iudæos, Iudas Maccabæus, Ionathan, Simon & Ioannes Hyrcanus, tam ethnarchiâ (ſeu populi principatu) quam Pontificatu ſimul gaviſi ſunt: & qui regijs diadematibus inter eos ornati ſunt, Ariſtobulus nempè, Alexander, Iannæus & alij, uno etiam eodémque tempore fuerunt Pontifices. Si de antiquis ethnicis loqueremur, habemus ipſos imperatores Romanos Pontifices etiam maximos. Inter reges Anium, de quo [a] Virgilius,

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbiq; ſacerdos.

[a] *Æncid. 3.*

[b] Et Ovidius,

Hunc Anius, quo rege homines, antiſtite Phœbus
Rite colebatur, temploq; domoq; recepit.

[b] *Metam. 13.*

Item *Mercurium Triſmegiſtum, id eſt, ter maximum, qui* (ſi [c] Alexandro ab Alexandro credamus) *inde nomen tulit, quod Philoſophus maximus, ſacerdos & rex maximus eſſet.* Meminit Cormaci hujus Caradocus Lancarvanenſis, in chronico ſuo Cámbrico, ceu viri pij, ſed *Carmotum filium Cukemani, regem & epiſtopum Hiberniæ*, ſive is, ſive qui edidit, perperàm appellat. Sed redeo. Anno 906. Flanus rex Hiberniæ, coacto exercitu, in Momoniam irruit, eamq; provinciam ad Limericum (al. Lumneacum) uſq; diripuit & vaſtavit. Cæterum Cormacus (qui tempori cedens, fugâ evaſerat) hâc injuriâ irritatus, anno inſequente Midiam cum copijs ingreſſus, Flanum

[c] *Genialium dierum. Lib. 2. cap. 8.*

num prælio fudit, eumq; ad conditiones quaſdam obſervandas, ſibi obſides tradere coegit, ijſq; acceptis, Caſſelliam reverſus eſt. Anno verò 908. (al. 907.) Flanus, ut cladem nuper acceptam ulciſceretur, pactis & obſidibus traditis non obſtantibus, cum Lagenienſi & Conacienſi regibus egit, ut conjunctis viribus, Momonienſes adorirentur, eoq; ſucceſſu, ut maximis copijs inſtructus, ſigna adverſus Cormacum extulerit. Momonienſium exercitui, in loco dicto *Moy-albe*, obviam factus eſt, ubi Auguſti die 16. poſt longam & cruentam pugnam, ceſſit ei victoria, Cormaco rege ibidem occiſo. Cæſi etiam cum eo feruntur duces fermè omnes primarij, ſeu mavis, reguli. Inter quos nominantur Fogertachus Kerrienſis & Kellacus Oſſorienſis. Cæterùm Caradocus Lancarvanenſis Cormacum ſub hoc tempore à Danis in prælio occiſum tradit. Alibi etiam memini me[a] legiſſe, eum à bubulco quodam occiſum, ad *Beanree*, prope Leghlinam, dum ibidem pro exercitu ſuo, tunc pugnante, ad Deum preces fundens, in genua procumberet. Tanta eſt de hujus cæde diſcrepantia. Ego verò non poſſum non aſſentiri tam annalibus Ultonienſibus, quam ijs cœnobij Inisfallenſis, qui à dicto Flani regis exercitu, victum eum & occiſum produnt. Corpus ejus Caſſeliam delatum, ibidem tumulo conditum eſt. Vir fuit eruditus & antiquitatum noſtrarum ſcientiſſimus. Scripſit hiſtoriam, *Pſalter Caſshell* vulgò dictam, quæ etiamnùm extat, & magno habetur in pretio. Fragmenta quædam genealogica ex illâ hiſtoriâ deſumpta, in vetuſto habeo codice MS. ante annos pluſquam 300. exarato, ut è characteris antiquitate liquet.

[a] *Ex MS. in bibliothecâ Cottonianâ.*

His

His temporibus claruiſſe videtur Probus, Hibernus. Is *vitam S. Patricij* 2. libris complexus eſt, quæ habetur in tomo 3. operũ venerabilis Bedæ, cui falsò à quibuſdam tribuitur, ut è fine libri 2. conſtat, ubi author nomen ſuum prodit his verbis. *Ecce habes frater Pauline, à me humili* Probo, *poſtulatum noſtræ fraternitatis indicium, quo nos pauperes aliqua tibi de ſanctiſſimi patris noſtri Patricij epiſcopi virtutibus, ſcribere cupiebas.* &c.

Cap. VII.

Scriptores ſeculi undecimi. Æd clericus barboſus. Dubdalehe. Marianus Scotus. Tigernacus, ubi de Airenachis ſive Erenachis, eorumque Etymologiâ. Mæliſa O-Stuir.

ÆD clericus barboſus (à prælongâ barbâ ità dictus) in impreſſo Mariano malè Atdericus, & à Balæo & ejus ſequacibus Acdericus vocatus, inter Scriptores Hiberniæ vulgò numeratur, Cæterum quid ſcripſerit, nuſquam traditum reperi. Magnam is eruditionis & ſanctitatis opinionem conſecutus fuerat: Anno verò 1053. vel 1054. in exilium pulſus eſt, quòd in ſchola ſua, in qua *Clericorum, puellarum & Laicorum magnum habuit numerum, puellas, more clericorum tonderet.* Ut ex [a] Mariano & Florentio Wigornienſi liquet.

[a] *ad annum* 1053.

Dubdalehe, per triennium Armachæ S. Theologiæ Lector, deinde archiepiſcopus Armachanus [b] Obijt 1. Septemb. 1064. al. 1065. Præſulatus ſui anno 16.

[b] *Annal. Ulton.*

Ad quem annum ita annales Ultonienſes *An. 1064. Dubdalehe Comorba* (i. hæres ſive ſucceſſor) *Patricij in Kal. Septembris in bonâ pœnitentiâ mortuus eſt.* Scripſit rerum Hibernicarum *annales*, quos citatos comperi in dictis annalibus, ad an. 962. & 1021.

Marianus natione Hibernus vulgò dictus Marianus Scotus (inter majorum gentium Chronographos numerandus) claruit anno 1083. Scripſit chronicon, quod perduxit uſque ad annum prædictum. Sed in impreſſo codice, plurima omiſſa ſunt, de rebus Anglicis & Hibernicis, quæ in MSS. exemplaribus habentur, ut è [c] Briano Twino liquet. Ex hoc opere, quamplurima chronico ſuo inſeruit Florentius Wigornienſis: id quod ipſe fatetur ad annum 1028. ubi ita legimus. *Eodem anno natus eſt Hibernienſis probabalis Scotus, cujus ſtudio & labore, hæc Chronica præcellens de diverſis libris eſt coadunata.* Sed apertiùs ad an. 1043. ubi Marianum ejuſdem *Chronicæ authorem* appellat. Marianus noſter anno natus 1028. (quod etiam de ſe aſſerit ad eundem annum,) monachus factus eſt, vel ut ipſe loquitur *ſeculum reliquit* 1052. annoque 1056. patriâ relictâ, in Germaniam profectus eſt, ubi Coloniæ primùm per triennium fermè, in cœnobio S. Martini, deinde per decennium in cœnobio Fuldenſi monachus vixit, presbyter interim (anno ſc. 1059.) ordinatus. Anno tum 1069. Moguntiam migravit, ubi deceſſit * 1086 ætatis ſuæ anno 58. & ſepultus eſt in cœnobio S. Martini, vel (ut alij habent) in templo S. Petri extra urbem. Chronicon ejus continuavit Dodechinus abbas S. Diſibodi uſque ad annum 1200. quo tempore claruit. Scripſit præterea Marianus, ſecundum [d] Balæum, *Euangeliſtarum concordiam.*

[c] *De antiquitate academiæ Oxon. lib. 2.*

* *Non ſine ſanctitatis opinione.* Trithem. de Script. eccleſ.

[d] *Scriptor. Britan. centur. 14. n. 45.*

De

De universali computo. Emendationes Dionisij. De magno cyclo Paschali. Algorismum. [e] *Breviarium in Lucam. Annotationes Scripturarum. Et Epistolas hortatorias.* Item [f] secundum quosdam *Commentaria in Psalmos, & Notitiam utriusq; imperij.* De alijs operibus ejus audiamus (si placet) Nicholaum Harpsfeldium, aliquando archidiaconum Cantuarienſem, in [g] hiſtoria ſua eccleſiaſtica Anglicana. *Præfigitur* (inquit) *Mariani Chronico* (MS°. ſc.) *accurata quædam regum Angliæ, ab ipſo Woden genealogia, quæ in Florentio eiſdem ferè verbis apparet; ut & Epiſcoporum catalogus ad Mariani uſque tempora, quæ an Mariano tribuere debeam quaſi primo parenti, catalogum præſertim, non adhuc mecum conſtitui, Nam nomenclatura Epiſcoporum, valdè diſſidet ab ea, quam in ipſa hiſtoria, recenſet. Quod ſuis nonnunquam locis oſtendimus. Propius vero eſt, ut genealogiam illi, vel ob id aſcribam, quod chronicon illud Gallicum, de quo anteà meminimus, quædam quaſi ex Mariano, quæ non alibi viſuntur in Mariano niſi in ea, nominatim citet; & quod ſæpe ſtirpem Regum Angliæ in chronico recenſeat. Quæ illius narratio, cum genealogia operi præfixa congruit.*

Tigernacus antiquitatum Hibernicarum diligens indagator, Scripſit *Hiberniæ annales*, quos perduxit uſque ad annum Domini 1088. Id quod ex authore vetuſto, qui continuavit dictos annales liquet. Non poſſum non autumare hunc fuiſſe Tigernacum O Broin *Airenachum* ſive Erenachum Clonmacnoiſenſem, quem eo anno obijſſe produnt annales Ultonienſes. Nam conveniunt & tempora & nomina. Annales ejus, & anonymi qui eos continuavit MSS^os. habeo. Locus jam poſtulare videtur, ut aliquid dicamus de Airenachis ſive Erenachis

[e] *Meminit illius libri Boſtonus Burienſis.*
[f] *Vid. V. C. Ger. Jo. Voſſy de Hiſtor. Lat. li. 2. pa. 360. & 361. Et Dempſter. hiſtor. eccleſ. Scot. lib. 9. pag. 387.*
[g] *Secul. 11. cap. 26.*

Hiberniæ, de quibus hîc fit mentio, quùm eorum ordo à cæteris in Europâ uſitatis, planè diverſus fuerit. Airenachus ſive Erenachus Hibernicè Oſpchinóeach, Archidiaconi munere functus, inde nomen accepit, [b] *Non autem ſuperioris generis, qui hodiè ſub epiſcopo, juriſdictione fruitur: ſed antiqui illius, qui presbytero inferior, pauperes & Xenodochia (diaconias inde appellata) curabat.* Illi, ejuſque familiæ, terræ quædam aſſignatæ fuerunt, vulgò *Termon landes* dictæ, liberæ & immunes à ſecularibus impoſitionibus, ſed penſionibus quibuſdam & refectionibus, annuatim epiſcopo (in cujus diœceſi fuerunt,) pendendis, oneratæ. Mortuo aliquo Erenacho, cæteri ejuſdem ſtirpis, qui terras eas poſſederunt, è ſuâ familiâ, talem ad hoc munus ſuſcipiendum elegerunt, qualem ob ætatem & mores idoneum judicârunt. Is, uxoratus plerùmq;, ſed qui primam habuit tonſuram, epiſcopo præſentatus, ab eo admiſſus eſt & confirmatus, ac ſub introitu ſubſidium epiſcopo ſolvit: ſin ob juſtas aliquas rationes rejectus, alium in ejus locum elegerunt. Si diſcreparet de electione familia, tunc ab epiſcopo & clero electus eſt Erenachus, at ex eadem ſtirpe. Si porrò ſtirps ea deficeret, tunc ab epiſcopo & clero, ad munus illud ſubeundum alia electa eſt familia, ſub conditionibus olim uſitatis. Hic ordo apud nos nuperrimè extinctus eſt.

[b] *Conſul. D. Hen. Spelmanni Archæologum.*

Mæliſa O-Stuir, patriâ Momonienſis, Philoſophus inſignis, ſcripſit opera quædam Philoſophica. Obijt anno Dom. 1099. vel 1098. ut ex annalibus Ultonienſibus intelligimus.

CAP.

Cap. VIII.

Scriptores ſeculi duodecimi. Gille al. Gillebertus. Celſus al. Cœleſtinus. Malachias Mongairus. De Tundalo ejuſque viſione. Conganus. Murrius O Gorman. Mauritius Regan. Conchubranus. Eugenius.

GIlle aliàs Gillebertus epiſcopus Lumnicenſis ſive Limericenſis & Legatus Pontificius claruit anno Dom. 1110. ſub anno verò 1139. grandævus tum & valetudinarius, Legatinam poteſtatem ſponte abdicavit, muneriq; illi à Papâ præfectus eſt Malachias Mongairus, tunc Dunenſis epiſcopus, ut in vitâ Malachiæ tradit S. Bernardus. Scripſit *epiſtolas quaſdam.* Item *libellum de Statu eccleſiæ*, quem [a] edidit illuſtriſſimus Armachanus Archiepiſcopus anno 1632. Librum hunc D. Tho. Iameſius in catalogo codicum MSS. in bibliothecis academiarum Oxonienſis & Cantabrigienſis, & ex eo, [b] Io. Pitſeus fictitio cuidam Gillæ Lincolnienſi epiſcopo perperàm tribuerunt. Obijt Gille noſter circa annum Dom. 1140.

[a] *In vit. epiſt. Hib. Syllog.*

[b] *Append. Scrip. Angl. cent. 1.*

Celſus, alijs Cœleſtinus & Cellacus *mac Æd mac Maliſa*, archiepiſcopus Armachanus deſignatus (poſt obitum Donaldi Amalgaidi filij) conſecrationem obtinuit 2. Septembris 1106. Hunc [c] Brianus Twinus *virum undiquáque doctiſſimum* appellat, & (ex Balæo) *Oxoniæ* ad tempus *floruiſſe* aſſerit. Obijt 6. Aprilis 1129. ætatis anno 50. apud Ardpatrick, (Villa eſt in agro Limericenſi) unde corpus Liſmoram delatum, ſicut in teſtamento ſuo mandaverat, ibidem honorificè ſepultum eſt. Celſum morituram *curâſſe omnimodo habere ſibi ſucceſſorem Malachiam*

[c] *Antiq. Oxon. academ. Apolog. lib. 2. Sect. 280.*

Mongairum tunc epiſcopum Connorenſem eique *baculum ſuum tanquam ſibi ſucceſſuro miſiſſe* aſſerit in in vitâ ejuſdem Malachiæ S. Bernardus. Nec operam luſit : Nam ſucceſſit ei Malachias, quamvis non immediatè, Siquidem Mauritius quidàm Donaldi filius, *per quinquennium fretus potentiâ ſeculari, incubavit eccleſiæ, non epiſcopus ſed tyrannus.* Sic Bernardus. Defuncto Mauritio eo, Nigellus, Mauritij cognatus, ſedem arripuit. Eo verò mox ejecto, archiepiſcopatum obtinuit Malachias. Scripſit Celſus *ſummam Theologicam*, quam Viennæ in Auſtriâ nuper extitiſſe accepi. Refert [d] Baleus eum ſcripſiſſe (præter *teſtamentum* de quo ſuprà fit mentio) *epiſtolas complures ad Malachiam, & conſtitutiones quaſdam.* Statuta intelligit fortaſſè celebertimæ illius [e] ſynodi in loco dicto *Ænguſij terrâ* coactæ, anno MCXI. vel MCXII. cui interfuiſſe dicuntur epiſcopi 50. præter presbyteros 318. Meminit ad eum annum *Concilij magni epiſcoporum & omnium magnatum Hiberniæ* [f] Hen. Marleburgenſis, ſed perperàm à fictitio quodam *Mauritio mac Loghlin rege Hiberniæ* convocatum aſſerit.

[d] *Scriptor. Brit. Centur. 14. Sect. 84.*

[e] *Annal. Ulton.*

[f] *In Annal. MSS.*

Malachias (Hibernis Mælmæðoıċ) *O-Mongair* educatus eſt Armachæ primùm ab Imaro magnæ auſteritatis viro, deinde Liſmoræ ſub Malcho tunc Liſmorenſi, (anteà ut conjicio Waterfordienſi) epiſcopo. In Ultoniam reverſus, cœnobium Banchorenſe reſtauravit, cui ipſe ad tempus præfuit abbas. Factus paulò pòſt epiſcopus Connorenſis, à Celſo archiepiſcopo, moribundo, ſucceſſor (uti diximus) deſignatus eſt, eiq; quinquennio exacto, ſucceſſit. Sed cùm triennium in archiepiſcopatu expleviſſet, ſponte abdicavit

dicavit anno 1137. Sedemque eam Gelasio filio Roderici, Canonico regulari Derensi, relinquens, Danum se contulit, ubi cœnobium clericorum regularium instituit. Biennio pòst, Romam profectus est, duo Pallia ab Innocentio 2. impetraturus, unum sedi Armachanæ [g] *cui defuerat* (inquit S. Bernardus) *ab initio Pallij usus*, & alterum novæ Metropoli, quam Celsus constituerat. Ibi à Pontifice Hiberniæ legatus factus est. [h] *Significatum siquidem erat ei* (sic idem Bernardus) *ab episcopo* * *Gilleberto, qui tunc legatus extiterat, quod jam non posset præsenio & debilitate corporis villicare.* At de Pallijs hoc responso dimissus, tantam rem solenniter agi debere, & communi Concilij Hibernici voto. Anno 1148. denuò iter suscepit Romam versùs: sed in viâ decessit, in cœnobio Claravallensi, febri absumptus 2. Novembris ætatis suæ 54. Festivitatẽ ejus celebrari 5. Nov. asserit [i] Andreas Saussaius, alij habent 3. Novemb. Vide Epitaphia de eo [k] apud Christopherum Henriques nuper ordinis Cisterciensis historiographum generalem. Scripsisse fertur *multas epistolas ad D. Bernardum. Constitutionum communium Lib. 1.* Item *de legibus cœlibatus, & de traditionibus.* Item ad Davidem regem Scotiæ, *vitam S. Cuthberti.* Item *Prophetiam de futuris Pontificibus Romanis*, quam edidit [l] Arnoldus Wion in ligno suo vitæ, cum adjuncta expositione Alphonsi Ciaconij usque ad Urbanum VII. Translatæ sunt in Hiberniam Malachiæ reliquiæ, an. Dom. MCXCIIII. [m] *& in monasterio Mellifontis, & cæteris monasterijs ordinis Cisterciensis, cum magno honore sunt receptæ.*

Tundalus alias Tungalus, patriâ Cassiensis vel (ut alij volunt) Corcagensis, sub anno 1159. post-

[g] *In vit. S. Malachiæ.*

[h] *Ibid.*

* *Limericensi.*

[i] *Martyrol. Gallic. ad 5. Nov.*

[k] *In Fasciculo Sanctorum ord. Cisterc. lib. 2. distinct. 41. cap. 2. & Monolog. Cisterc. ad 5. Nov.*

[l] *Lib. 2. ca. 40.*

[m] *Annal. Mon. B. Mariæ Dublin. MSS.*

poſtquam Corcagiæ, per ſpatium 3. dierum in extaſin raptus, quaſi mortuus jacuiſſet, experrectus tandem, aſtantibus mirandas ſuas apparitiones perhibebat. Sunt qui de ijs libellum poſteà ſcripſiſſe ferunt. Cæterùm ex ipſa relatione viſionis apparet Tundalum eam tantum *recitâſſe* non ſcripſiſſe. Videtur igitur ab aliquo aſtante, dum Tundalus recitaret, exarata. Viſionem hanc habemus in [n]Io. Tinmuthenſis Sanctilogio, & in [o]Vincentij ſpeculo hiſtoriali. Extat etiam MS[a]. in publicâ Oxonienſi bibliothecâ.

[n] *MS. in bibl. Cotton.*
[o] *Lib. 27. ca. 88.*

Conganus monachus Ciſtercienſis, deinde (cœnobij fortè Surienſis) abbas, claruit anno 1150. Scripſiſſe dicitur *vitam Malachiæ Archiep. Armachani, & epiſtolas quaſdam ad D. Bernardum.* Illius etiam ſuaſu & operâ, Malachiæ vitam ipſe Bernardus deſcripſit, ut in fine præfationis his verbis teſtatur. *Poſtremò tu id mihi abba Congane injungis reverendus frater & dulcis amicus meus, ac tecum pariter (ut ex Hiberniâ ſcribis) veſtra illa omnis eccleſia Sanctorum. Libens obedio: præſertim quod non eloquium exigitis ſed narrationem. Dabo verò operam ut ea ſit pura & luculenta, devotos informans, faſtidioſos non onerans. Sanè narrationis veritas apud me ſecura eſt, intimata à vobis, haud alia proculdubio proteſtantibus, quàm quæ certiſsimè comperta ſunt vobis.* Scripſit prætereà Conganus (ſecundùm [p] Dowlingum) *geſta S. Bernardi.*

[p] *Thad. Dowlingi Annal. Hiberniæ MSS.*

Murrius O Gorman abbas *de Knock* juxta Louthiam, anno 1171. edidit ſupplementum Martyrologij Æneæ. de quo vide ſuprà inter ſcriptores ſeculi octavi.

Mauritius Reganus ſervus & interpres Dermitij filij Murchardi, regis Lageniæ, claruit 1171. Scripſit ſatis diligenter. *hiſtoriam*, de rebus in Hiberniâ geſtis,

ſtis, ſuo tempore, quam quidam amicus ejus in verſus Gallicos tranſtulit, Undè Anglicè etiam reddidit D. Geo. Carew eq. aur. Momoniæ Præſes ſub Eliz. Reginâ, poſteà Totneſiæ comes.

Concubranus ſcripſit vitam S. Moninnæ al. Modwennæ virginis 3. libris. In fine operis nomen ſuum ſic aperit. *Harum virtutum lectorem ſimul & auditorem per dominum teſtor, ut pro me valdè miſero domini ſervo Conchubrano, peccati ſarcinâ oppreſſo, pijs orationibus intercedant ad dominum.* Scripſit porrò *duos hymnos Alphabeticos in ejuſdem Moninnæ laudem.* Cùm verò duæ fuerint Moninnæ, una vulgò Darerca dicta, S. Patricij ſoror, quæ obijt ad *Kilſleue al. Kilſleuecuilin* in Com. Armachano 3. Iulij, [q] anno æræ noſtræ Chriſtianæ 518. alijs 516. altera longè poſterior quæ vixit circa an. 640. Harum vitas confundit Conchubranus. Habetur autographum in bibliothecâ Cottonianâ, (unde apographum habeo) ſed in initio libri manu recentiori, Galfrido Burtonienſi monacho (qui de eodem argumento ſcripſit) falſò adſcribitur. Utcunque autographum, characteris antiquitate, authorem vixiſſe ante exitum ſeculi duodecimi indicat.

[q] *Annal. Ulton. MSS.*

Eugenius epiſcopus Ardmorenſis ſcripſit *vitam S. Cuthberti*, ut ex libello MS. *de ortu ejuſdem Cuthberti, de hiſtorijs Hibernenſium excerpto*, in bibliothecâ Cottonianâ liquet. Hunc libelli illius author perperàm *epiſcopum Hardimonenſem* appellat, ſed addit in illius *epiſcopatus ſede S. Declanum epiſcopum requieſcere.* Undè errorem facilè deprehendamus, Nam Declanus is primus fuit eccleſiæ Ardmorenſis Epiſcopus.

Cap. IX.

Recenſentur Scriptores ſeculi 13. Matthæus Henæus. Author prioris partis Chronici Inisfallenſis. Cornelius. De Iohanne de Sacro Boſco, ubi de patriâ ejus variæ recitantur opiniones. Petrus. Marianus O Laghnan. Anonymus monachus Buellienſis. Thomas Palmeranus. Author annalium ordinis Prædicatorum. Author annalium Montis Fernandi. Gulielmus abbas. Gelaſius mac Firbiſſy. Author officij S. Finiani.

INeunte hoc ſeculo claruit Matthæus Henæus, vel O Heney, qui ex monacho Ciſtercienſi, factus eſt archiepiſcopus Caſſelienſis, & paulò pòſt Legatus in Hiberniá Pontificius. Fortaſſè hic idem fuit cum Archiepiſcopo illo Caſſelienſi, qui in impreſſo codice [a] Gir. Cambrenſis, de mirabilibus Hiberniæ, Mauritius appellatur. Certè [b] Stanihurſtus & [c] Hanmerus, ubi de aculeato ejus reſponſo, ex Giraldo, loquuntur, (neſcio quibus MSS. uſi,) Matthæum vocant. Et exemplar MS. Giraldi, quod Oxoniæ in Publica Bibliotheca vidi, Thaddæum habet. In hâc lectionis varietate, quid judicem neſcio. Si conjecturæ ſit licentia, dicerem unum eundemque fuiſſe hominem. Deceſſit anno Domini 1206. & in cœnobio S. Crucis, in agro Tipperarienſi tumulatus eſt. Scripſit *vitam S. Cuthberti Lindisfarnenſis epiſcopi, Epiſtolas quaſdam ad Cœleſtinum 3. & Innocentium 3.* & alia nonnulla.

[a] *Diſtinct. 3. cap. 32.*
[b] *De rebus Hib. li. 4. p. 190.*
[c] *Chron. Hib. edit. Dublinij 1633. pag. 168.*

Author prioris partis Chronici cœnobij Inisfallenſis in agro Kerriano, vixit uſque ad an. 1215. Is leviter attingit hiſtoriam univerſalem, ab orbe condito

dito usque ad annum 430. vel circiter. Inde vero res Hibernicas, usque ad sua tempora, satis accuratè describit. Annales hos (quos MSS. habeo) continuavit alius usque ad annum 1320.

Cornelius quidam vixit circa an. 1230. & Chronicon edidit, quod utrum extet ignoro. Extitisse verò tempore Hectoris Boethij (qui floruit 1526.) certum est. Nam ex eo multa [d] se collegisse fatetur. Hunc Dempsterus ideò *Hibernicum* dictum fingit, *quòd in montibus* (inquit) *Scotiæ natus fuerit, quod genus hominum & olim & etiamnùm hodiè Hiberni vel Hibernienses vocari soliti.*

[d] *Scotor. Histor. Vide porrò Bal. centur. 14. n. 88. & Dempster. Histor eccles. Scot. lib. 3. n. 317.*

Iohannes à Sacro Bosco, Philosophus & Mathematicus insignis, claruit anno 1230. Hunc, Balæus, ex Lelando Anglum facit, natumq; [e] Halifaxæ tradit in agro Eboracensi, ac inde nomen accepisse, sed perperàm proculdubio: Nam *Haly-fax* sacrum capillum significat, non sacrum Boscum. [f] Dempsterus Scotum facit. [g] Stanihurstus & alij Hibernum volunt & *Hollywooda* natum, in agro Dublinienſi. In hâc opinionum varietate nihil definio. Scripsit opus insigne *de Sphærâ*, quod multi viri doctı çommentarijs illustrârunt. Item *de Algarismo. De ratione anni. Breviarium juris*, & alia nonnulla. Obijt Parisijs (ut aliqui habent) anno 1235. & in ecclesiâ D. Maturini sepultus est. Alij vitam ejus longiùs producunt.

[e] *Scriptor. Britan. cent. 6. num. 93. Consul. porrò Camden. Britan. in Brigant.*

[f] *Histor. eccles. Scot. lib. 17. n. 1038.*

[g] *Descript. Hib.*

Petrus, Hibernicus, Philosophus & Theologus egregius, vixit Neapoli in Italiâ anno 1240. ubi, in studijs Philosophicis, præceptor fuit Thomæ Aquinatis. Scripsit *quodlibeta Theologica.* Quando aut ubi obierit, nondum comperi. Videtur autem obijsse Neapoli. [h] *Hunc Fredericus secundus Augustus ad Academiam*

[h] *Waddingi annal. Minor. ad an. 1270. n. 28.*

demiam Neapolitanam à se restitutam invitavit, datis ad eum literis, quas inter epistolas [i] Petri de Vineis ejusdem Imperatoris Cancellarij & Secretarij legere licebit.

[i] Lib. 3. ca. 10.

Marianus al. Mulmurrius O-Laghnan Decanus primùm Tuamensis, deinde ejusdem ecclesiæ archiepiscopus, peregrinationem religionis ergo, Hierosolymam usq; suscepit, atque hanc suam *Peregrinationem* literis commisit. Obijt Athlonæ 1249. paulò ante festum natalis Domini. Eique successit in Archiepiscopatu, Florentius mac Flin Cancellarius Tuamensis.

Anonymus Monachus cœnobij Buellienſis appendicem adjecit annalibus rerum Conacienſium, usque ad an. 1253. quo tempore vixit. Liber MS. extat in bibliotheca Cottoniana, ex dono Oliveri nuper *vicecomitis Grandison de Limerick.*

Thomas Palmeranus sive Palmerstonensis, vulgò dictus Thomas Hibernicus, in agro Kildarienſi natus, patriâ relictâ, eruditionis causâ, Parisijs aliquandiù hæsit, ubi S. Theologiæ doctoris gradum consecutus est. Posteà in Italiam progressus, diem clausit extremum in [k] *Monasterio Aquilæ*, in finibus regni Neapolitani, ubi sepultus est. Floruit circa an. 1269. (non 1365. ut malè [l] Arthurus à Monasterio ad 7. Decembris) Scripsit 2. *Libris, Flores Doctorum*, qui extant sæpiùs impressi.

[k] *Vide Luca Waddingi tom. 2. annal. Minor. ad an. 1269. & 1270.*

[l] *Ma tyrol. Franciscan.*

Item *de Christiana religione, Lib. 1.*
De illusionibus damonum, Lib. 1.
De tentatione diaboli, Lib. 1.
De remedijs vitiorum, Lib. 1.
Flores Biblicos. Et alia.

Primum opus inchoaverat Iohannes Gualensis aliàs

Walleis

Walleis Minorita, ſub titulo *Manipuli florum*, ſed quod ille morte præventus, imperfectum reliquerat, abſolvit Thomas noſter ſub titulo *Florum Doctorum*. Hujus etiam eſſe videtur Promptuarium Morale ſacræ Scripturæ, à Lucâ Waddingo Romæ an. 1624. (ex MS°. bibliothecæ fratrum Minorum Aræ cœli in Capitolio) editum. Nam & patria, & ordo, & tempus, & operis argumentum (Floribus Biblicis admodùm cognatum) ſimul conveniunt. Thomam autem Hibernicum in provinciâ Pennenſi, nunc S. Bernardini nuncupatâ, in Conventu Aquilæ doctrinâ & ſanctitate floruiſſe ad an. 1270. ſcribit Marianus Florentinus in Chronicis MSS. lib. 2. cap. 30. quemadmodum in Promptuarij hujus editione Waddingus monuit. De eo etiam ita Iordanus de Saxonia, in Vitis Fratrum, lib. 2. cap. 14. *Magiſter Thomas Hibernicus, olim ſocius in Sorbonâ Pariſius, in Compilatione ſuâ quam Manipulum Florum appellat, inter alios libros Auguſtini, duas Regulas diſtinctas computat & deſignat.*

Annales ordinis Prædicatorum ab anonymo Dominicano perducti ad annum Chriſti 1274. quo floruit. Annalibus adjicitur catalogus ſubſequens omnium illius ordinis conventuum, qui in Hiberniâ fuerunt, ante annum 1300. ſecundùm tempus quo quiſque conventus cœpit, diſpoſitus.

Dublinij, Anno Domini	1224.
Pontanæ,	1224.
Kilkenniæ,	1225.
Waterfordiæ,	1226.
Limerici,	1227.
Corcagiæ,	1229.

	*Molingaræ,	Anno Domini 1237.
	Athenriæ,	1241.
	Caſſeliæ,	1243.
	Traleiæ,	1243.
	Newtonæ in agro Dunenſi,	1244.
	Banninæ (al. Colranæ,)	1244.
Conventus Prædicatorum	Sligoæ,	1252.
	Athlethanæ (aliàs Stradæ juxta Athlethan,)	1252.
	Athyæ,	1253.
	Roſcomaniæ,	1253.
	Trimmæ,	1263.
	Arcloæ,	1264.
	Roſſæ, al. Roſſæ Pontis,	1267.
	Youghallæ,	1268.
	Lothoriæ al. Lurchoæ,	1269.
	Rathbrannæ,	1274.
	Deriæ,	1274.
	Killociæ (al. Kilmalociæ,)	1291.

*Extant MSS. in bibliothecâ Rmi Archiep. Armachani.

Author annalium illorum quos vulgò *annales Montis Fernandi (ſive Minoritarum Multifernanæ) vocamus incipit ab anno Domini 45. & deſinit anno 1274. quo tempore ipſe vixit, ut ex antiquitate characteris liquet. Non poſſum non ſuſpicari authorem fuiſſe fratrem Stephanũ de Exoniâ, quem natum perhibent annales illi, anno 1246. & habitu ordinis ſui *indutum, in die Annunciationis* B. Mariæ. 1263.

Guilielmus abbas (cœnobij neſcio cujus) *vir tam claræ extitit famæ* (inquit *Balæus) *ut ejus memoria nondùm perſenſerit extremam oblivionis ruinam. Erat enim ex Bardorum vel Pſeudovatum genere, quos Cambri & Hiberni in maximo ſemper habuerunt precio* &c.

*Scriptor Britan. Centur. 14. num. 90.

Vnde

Vnde produxisse tandem Guilielmus scribitur, Prophetias rerum futurarum, Lib. 1.

Sic Balæus, qui quùm fortasse *Bardum* vocatum eum repererit, inde pseudovatem fuisse, & prophetias scripsisse effinxit, nescio an ex Lucani versibus deceptus, ° qui de *Bardis* ità cecinit,

° *Phars. lib. 1.*

Vos quoq; qui fortes animas, belloq; peremptas,
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Ejus æqualis Gelasius (al. Gillisa) *mac Firbissy*, historicus & non infimi subsellij poeta, scripsit *Chronicon* sui temporis, & *poëmata quædam*. Mortem obijt anno Dom. MCCCI.

Exeunte seculo XIII claruit anonymus author officij S. Finiani episcopi Clonardensis, nempè sub Thoma de S. Leodegario sive *S. Leger* episcopo Midensi.

Cap. X.

Scriptores seculi 14. Iohannes Duns Scotus. De patriâ ejus discrepantia judicia. Malachias. Mauritius O Gibellen. Adamus Goaham. De patriâ Gulielmi Ockami. David Obugaus. Malachias mac Æda. *Gilbertus. Annalium Rossensium Collector Pembrigius. Iohannes Clinnus. Richardus filius Radulphi, vulgò dictus Richardus Armachanus. Radulphus Kellaus. Hugo Hibernicus. Gulielmus de Droghedâ. Galfridus Hogain. Henricus Crump. De Gulielmo Wodefordio ejusq; patria disquisitio. Magraitibus* mac Gawan.

AGmen ducit Iohannes Duns Scotus aliàs Dunscot, ordinis Minorum, cui ob ingenij acumen & schola-

ſcholaſticas ſubtilitates *Doctoris ſubtilis* nomen tribuitur. Scripſit Oxoniæ in Mertonenſi collegio, (ubi ſub Gulielmo de Warâ al. Varrone, præceptore, educatus eſt) in 4. libros ſententiarum : unde opus, *Scriptum Oxonienſe* dicitur. Scripſit poſteà Pariſijs *Reportata.* Item *Collationes. Quodlibeta. De primo principio rerum. Lib. Theorematum. Lib. De cognitione Dei. Tetragrammata quadam. Sermones de tempore & de ſanctis. Ac Commentarios imperfectos in Geneſim, in Euangelia, & in D. Pauli epiſtolas.* Scripſit etiam *quæſtiones in Porphirium, & in Ariſtotelis prædicamenta, Perihermenias, Priora, Poſteriora, Elenchos, De animâ, Metaphiſica & Phiſica.* De patriâ ejus (ſicut Græci olim de Homeri natalibus) concertant Angli, Scoti, Hiberni. [a] Angli natum tradunt Emildonæ, vel Dunſtonæ, in parochiâ Emildonenſi in Northumbriâ, & ad hanc ſententiam firmandam, urgent opera ejus MSS. in bibliotheca Mertonenſi, Oxoniæ, quæ his verbis terminantur. *Explicit lectura, ſubtilis in univerſitate Pariſienſi Doctoris, Iohannis Duns, nati in quadam villulâ, parochia de Emildun, vocatâ* [*] *Dunſton in comitatu Northumbriæ, pertinente domui ſcholarium de Merton Hall, in Oxoniâ.* De hâc re judicent qui citatum opus viderunt : Nam an verba ea ſcripta fuerunt ſub tempore Scoti, vel recentiùs adjecta à characteris genere apparebit. [b] Scoti ortum volunt *in vico de Duns, octo mille paſſibus ab Angliâ diſtante,* ac [c] Hiberni, Duni in Ultonia natum aſſerunt. Hiſq; aſtipulatur (Cavelli rationibus evictus) Arthurus à Monaſterio Rothomagenſis, in Martyrologio Franciſcano, ad Novemb. 8. §. 4. ſed in re tam incerta, nihil definio. Iohannes hic demùm miniſtri generalis

[a] *Conſul. Camd. Brit. in Northumb. pag. 670. & Bal. Script. Brit. Cent. 4. num. 82 & Cen. 14. n. 53.*

[*] *Tho. Jameſio in Eclogâ Oxonio-Cantab.* Dymſtam.

[b] *Jo. Maior. lib. 4. Thom. Dempſter. Hiſt. eccleſ. Scot. lib. 4. n. 421.*

[c] *Hug. Cavel. vita Scoti. Dermit. Thadæi mitel. Franciſc. relig. & Luc. Waddingi annal. Minor. ad an. 1304.*

lis jussu, Coloniam profectus est, ubi morte quodamodò repentinâ, obijt 8. Novembris 1308. & apud Minoritas sepultus est sub lapide, cui primùm hoc qualecunque epitaphium (ante ossium translationem) carmine Leonino, insculptum est.

Clauditur hic rivus, fons ecclesiæ, via, vivus,
Doctor justitiæ, studij flos, arca sophiæ,
Ingenio scandens, scripturæ abdita pandens
In teneris annis fuit, ergò memento Ioannis.
Hunc Duns ornatum fac cœlitùs esse beatum:
Pro patre translato modulemur pectore grato.
Dux fuit hic cleri, claustri lux & tuba veri.

De morte ejus, vide varias authorum sententias in Lucæ Waddingi annalibus, ad annum 1308. De eo verò qui plura scire avet, Martyrologium Franciscanum petat, ab Arthuro à Monasterio Parisijs editum anno 1638. ubi ad 8. Novembris, authores quotquot de eo scripserunt, recensentur.

Malachias, Hibernicus, Theologus ordinis Minorum, (non Prædicatorum, ut habet Anthonius Senensis,) floruit Oxoniæ, sub anno Dom. 1310. & posteà ut videtur, Neapoli in Italiâ. Hunc aliquando eundem esse suspicatus sum, cum Malachiâ *mac Æda*, qui sub eodem tempore episcopus evasit Elphinensis, & posteà Tuamam translatus est. Sed dies diem docet. Eum ante infulas susceptas, presbyterum fuisse secularem, & [d] unum è Canonicis ecclesiæ Elphinensis, nuper certò comperi. [e] Malachias hic edidit libellum *de veneno peccatorum mortalium, deque remedijs ipsorum*, qui Parisijs prodijt, anno Dom. 1518. ex officinâ Henrici Stephani. Addit [f] Balæus scripsisse item *Concionum Lib. 1.* & alia nonnulla.

[d] *Rot. pat. 4. Ed. 4. par. 1. in Arce Londinensi.*
[e] *Anthon. Possevin. Apparat. Sac. & Io. Gaves. lib. de sacro corpore & sanguine Christi.*
[f] *Centur. 14. n. 91.*

Mauritius Gibellanus Legum Doctor, & Canonicus ecclesiæ Tuamensis, Philosophus præterea & Poëta insignis, scripsit *poemata* quædam, & alia. E vitâ migravit anno 1327.

Adamus Godham, Franciscanus S. Theologiæ Doctor Oxonienſis, scripsit *commentarios* in libros 4. sententiarum (qui Parisijs excusi sunt anno 1512.) Item *Determinationum Lib.* 1. Claruit anno 1330. De eo videndus Balæus, centur. 5. ca. 98. ubi Anglum facit & perperàm Adamum Wodeham vocat. Ibi tamen Iohannē Maiorem citat, lib. 4. de gestis Scotorum, cap. 21. qui eum expressè Adamum Godhamen nominat. *Eadem* inquit *tempestate erat Adam Godhamen, qui Oxoniæ, Ockam respondentem audivit. Vir modestus, sed non inferioris doctrinæ aut ingenij, quam Ockam.* Atqui hic fuit, ni fallor, quem idem Iohannes Maior aliàs *Adam Hibernicum* vocat. *Præclaros* (inquit) *Philosophos & Theologos antiquitùs hæc Vniversitas* [Oxonienſis] *emisit, utpote Alexandrum Halensem, Richardum Middletonum, Iohannem Duns doctorem subtilem, Ockam, Adam Hibernicum, Rob. Holkotum,* &c. An is *doctor* ille fuerit, quem Gregorius Ariminensis (qui scripsit in sententias anno 1344.) sæpè citat sub nomine *Adami doctoris*, et *Hiberniei doctoris*, quærant alij. Mihi probabile videtur unum eundemque fuisse hominem.

Gulielmus Ockam (dictus *Invincibilis, Angelicus & Nominalium princeps,*) Minorita, & Iohannis Scoti discipulus, claruit anno 1330. Hunc Hibernum facit [8] Raphael Volaterranus, *Hibernia* (inquit) *suis & ipsa lætatur sanctis: præsertim præsulibus, Malachiâ, Cataldo & Patricio: qui Christianos eos fecit, deinde Scotiæ Præ-*

[8] *Commentar. Urban lib. 3.*

sul:

ſul: Guilielmo Ocham prædicato illo Dialectico, ord. Minorum; ſub Iohanne XXII. *Inſuper Cardinale Armachano: quianno* MCCCLIII. *multâ doctrinâ, ſcriptiſque voluminibus claruit.* Volaterranum ſequuti ſunt [h] Phil. Sullevanus, (qui Ocahanum eum vocat,) & alij. Sed perperàm proculdubio: ſicut ex literis Pontificijs & aliter rectè oſtendit V.D. [i] Lucas Waddingus. Hinc opera ejus prætermitto, eumque inter Hiberniæ ſcriptores numerandum non duco. De eo tamen vide (ſi placet) plura apud Trithemium & Balæum.

[h] *Hiſtor. cathol. Ibern. compend. tom. 1. lib. 4. cap. 8.*

[i] *Annal. Minor. ad an. 1323. n. 15. & ad an. 1347. n. 22.*

David Obugæus, cœnobij Kildarienſis Carmelita, Oxoniæ primùm in Angliâ, deinde Treviris in Germaniâ, ob eruditionem non vulgarem celebris evaſit. Factus tandem ordinis Carmelitarum in Hibernia Provincialis, in patriam redijt, ubi *in* * *Atrio Dei & Dublinia* (inquit Balæus) *capitula celebrâſſe dicitur. Erat* is *Philoſophus, Rhetor, Theologus & utriuſque legis in tota illa terra peritiſſimus, atque ita totius Hibernicæ nationis lucerna, ſpeculum ac decus à multis appellatus:* Sic Balæus, ex Iohannis [k] Bloxami epiſtolis. Scripſit,

* Atherdee.

[k] *Bal. Centur. 14. tit. 92.*

Sermones ad clerum. Lib. 1.
Epiſtolas 32. ad diverſos. Lib. 1. A Dilectionis fœde-
Propoſitiones diſputatas. Lib. 1. (re non recedit.
Lectiones Trevirenſes. Lib. 1.
Regulas quaſdam Iuris. Lib. 1.
Et *contra Gerardum Bononienſem. Lib. 1.*

Quibus addit [l] Guil. Eyſengreinius *commentaries in biblia ſacra.* Claruit anno 1320. & Kildariæ poſteà, in cœnobio ſui ordinis admodùm ſenex deceſſit et ſepultus eſt.

[l] *Catalog. teſtium veritatis.*

Malachias *mac Æda* ſive filius Hugonis canoni-

cus ecclesiæ Elphinensis à Clemente 5. ejusdem ecclesiæ episcopus declaratus, temporalibus restitutus est à rege 7. Dec. 1310. Inde ad Tuamensem archiepiscopatum translatus est sub initium anni 1313. ubi cùm annos sedisset plusquam 35. admodùm senex ex hac vita migravit Augusti 10. 1348. Extat volumen magnum ijs temporibus Hibernicè perscriptum, quod Leabq m Æò i. liber filij Hugonis appellatur, & Malachiæ nostro tribuitur. Continet (inter alia miscellanea,) *seriem* regum Hiberniæ à Nello *Nigialach* usque ad Rodericum O-Conner, cujus tempore Hibernia Anglici juris facta est. Item *Prophetiam* B. Iarlatho adscriptam, de successoribus ejus in sede Tuamensi.

Gilbertus Urgalius, sic à Balæo cognominatus, fortè quòd in Ergallia sive Uriele natus fuerit, (Ergallia autē antiquitùs complexa est totam eam regionem, quæ nunc divisa est in comitatus Louthianum & Monaghanensem, fortè etiam Armachanum.) Carmelita is fuit & scriptor non indoctus, Oxonienſis academiæ (ut putatur) alumnus. Claruit anno Domini 1330. & ut (ē Iohannis Bloxami epistolis) tradit m Balæus, *in duobus magnis voluminibus reliquit,*

Summam quarundam legum. Lib. 1.

De rebus Theologicis, Lib. 1.

m *Centur. 14. num. 93.*

Annalium Rossensium collector vixit anno 1346. ad quem annum annales suos his verbis terminat, *Anno 1346. Interficitur O Karowill in Eliâ per Ossorienses.*

Pembrigius (Dublinienſis opinor) claruit anno 1347. Scripsit longè majorem partem annalium Hiberniæ à V.C. Gul. Camdeno editorum, ad calcem Britanniæ suæ, anno 1607. nempè usque ad an. 1347.

Eo-

Eodem tempore claruit Iohannes Clynnus, Minorita Kilkennienſis, & primus Guardianus cœnobij Carrigenſis, (quod ad ripam Surij fl. inſtituit Iacobus comes Ormoniæ anno 1336.) Scripſit breviſſimè annales, à nativitate Chriſti uſque ad annum 1315. ſed ab eo anno ſatis diligenter & copioſè res noſtras continuavit uſque ad annum 1349. quo anno obijſſe videtur. Scripſit etiam *de regibus Anglorum ab Hengiſto ad Ed. 3. Lib. 1. De Cuſtodijs ordinis ſui in Angliâ & Hiberniâ; & Catalogum ſedium epiſcopalium Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ.* Extant opera ejus in libro *Communitatu* fratrum Minorum Kilkenniæ. Annales eos, unà cum alijs, de rebus noſtris Hibernicis, tranſcribi curavit D. Iacobus Læus eq. aur. *Banci* Regij in Hiberniâ jampridem Iuſticiarius, poſteà Angliæ Quæſtor & comes Marleburgenſis, atque apographa cum viro Honoratiſſimo Henrico nunc comite Bathoniæ reliquit, eâ lege, ut typis mandarentur.

Richardus Fitz Raph ſive filius Radulphi, S. Theologiæ Doctor, Dundalkæ in agro Louthiano natus, Oxonienſis academiæ alumnus, ejuſdemque academiæ Cancellarius an. 1333. Factus eſt primùm Decanus (vel ut alij habent Archidiaconus) Lichfeldenſis, deinde archiepiſcopus Armachanus, conſecratus [a] Exoniæ *8. Idus Iulij* 1347. à Iohanne de Grandiſono epiſcopo Exonienſi & tribus alijs epiſcopis. [b] Raphael Volaterranus *Cardinalem Armachanum* eum appellat, licet Alphonſus Ciaconius in Cardinalium catalogo nullam illius faciat mentionem. Theologus fuit doctiſſimus & in concionibus aſſiduus. Vidi ego librum MS. Sermonum ejus, partim Lichfeldiæ, Londini & alibi in Angliâ, partim Pontanæ, Dundalkæ,

[a] *Annal. MSS. in bibliothecâ Cottonianâ.*
[b] *Commentar. Urbanor. lib. 3. & 21.*

Trimmæ & in alijs ſuæ provinciæ locis in Hibernia, & partim Avenione in Galliâ, habitorum, qui teſtes ſunt locupletiſſimi eruditionis & aliarum ejus virtutum. Anno 1356. in Angliam trajecit, ubi in concionibus quibuſdam Londini habitis, [a] *has 9. concluſiones* (ut ipſe loquitur) *expreſſit.*

[a] *Vide Defenſorium Curatorum, ſive Propoſ. factam Avenione in conſiſtorio coram Papa & Cardinalibus 8. Nov. 1357.*

1. Quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus in converſatione ſuâ humanâ, ſemper pauper erat, non quia propter ſe paupertatem dilexit aut voluit.

2. Quod Dominus noſter Ieſus nunquam ſpontaneè mendicavit.

3. Quod Chriſtus nunquam docuit ſpontaneè mendicare.

4. Quod D. noſter Ieſus Chriſtus docuit non debere homines ſpontaneè mendicare.

5. Quod nullus poteſt prudenter & ſanctè ſpontaneam mendicitatem ſuper ſe aſſumere perpetuò aſſervandam.

6. Quod non eſt de regulâ fratrum Minorum, mendicitatem ſpontaneam obſervare.

7. Quod Bulla D. Alexandri 4. qua magiſtrorum libellum condemnat, nullam præmiſſarum concluſionum impugnat.

8. Quod pro confeſſione parochianorum alicujus eccleſiæ faciendâ, cum excluſione loci alterius, eligibilior eſt parochialis eccleſia, quam fratrum oratorium, ſive ipſorum eccleſia.

9. Quod ad confeſſionem parochianorum cujuſvis eccleſiæ, uni perſonæ ſingulariter faciendam, eligibilior eſt perſona ordinarij, quam fratris perſona.

Ob has concluſiones, Guardianus Minoritarum Armachæ & alij ejuſdem ordinis, tam Angli quam Hiberni

berni Avenionem citari eum curârunt. Illic igitur profectus, per triennium hæsit: Interim coram Papâ & Cardinalibus in consistorio, de hac re, orationem habuit, quæ excusa extat Parisijs 1633. ex fide cod. MS. bibliothecæ S. Victoris, sub titulo *Defensorij curatorum*. Sed priusquàm hæ tempestates sedatæ fuerunt, mortem obijt secundùm Henricum Marleburgensem, anno 1360. 17. *Calend. Decemb. in Curiâ* Avenione sc. Unde corrigendi sunt annales Hiberniæ à Camdeno editi, ubi ad eundem annum legimus. *Obijt Magister Rich. filius Radulphi in Hannoniâ XVI. Decembris.* MS. exemplar dictorũ Annalium penes Reverendissimum Archiep. Armachanum habet *Avinionâ XVI. Kal. Decembris.* Ossa ejus posteà à Stephano de Valle Limericensi primùm, deinde Midensi episcopo, sub an. 1370. Dundalkam translata dicuntur, ubi Richardus ille titulo S. Richardi *de Dundalk*, innotuit. Tantæ porrò fuerunt illi virtutes, tantâque miracula ei adscripta, ut [r] Bonifacius IX. miracula ea, diplomate examinanda jusserit. Scripsit

[q] *Vid. porrò Tho. Walsingham. histor. Angl. ad an.* 1358.

[r] *Luc. Wadding. Annal. Minor. tom. 4. an.* 1357. *num.* 8.

De quæstionibus Armenorum, Lib. 19.
Item in libros 4. sententiarum, Lib. 4.
In Euangelia. Lib. 4.
De Paupertate Christi, Lib. 7.
De intentionibus Iudæorum, Lib. 1.
Sermonum magnum Volumen.
Defensorium Curatorum.
Dialogum de rebus ad Sacram Scripturam pertinentibus, qui MS. extat [s] Oxoniæ, in bibliotheca collegij Lincolnienſis. Dicitur etiam scripsisse

[s] *D. Tho. James. Ecloga Oxonio-Cantab.*

Vitam S. Manchini abbatis, (qui floruit anno 640.)
De laudibus Beatissimæ virginis Mariæ, Lib. 1.

De

De poteſtate ſpirituali, Lib. 1.
De paſſione Dominica, Lib. 1.
Contra ſuum archidiaconum, Lib. 1.
Epiſtolas ad diverſos, Lib. 1.
Dialogos, Atque alia multa.

De eo vide plura in Arthuri à Monaſterio Martyrologio Franciſcano, pag. 636. 637. 638.

Ejus æqualis fuit Radulphus Kellæus, Pontanæ (ſive Droghedæ) natus, educatus autem Kildariæ, in cœnobio Carmelitarum, ubi Carmelita factus eſt. Avenione poſteà an. 1336. *ordinatus eſt* (inquit [t] Ioh. Balæus) *pro toto ſuo ordine prolocutor, & ſub Petro de Caſa generali magiſtro, generalis advocatus.* Anno deinde 1345. à Papâ Caſſelienſis conſtitutus eſt archiepiſcopus, & cùm annos ſediſſet fermè 16. ab hac luce migravit Novembris 20. anno Dom. 1361. Scripſit

[t] *Cent. 14. num. 94.*

De Iure Canonico, Lib. 1.
Epiſtolarum Lib. 1.
Et alia. [u] Eum Poſſevinus perperàm Radulphum Kullei Anglum vocat, ac inde ſecum in errorem duxit Pitſeum.

[u] *Apparat ſac. tom. 2.*

Hugo Hibernicus, ordinis Minorum, poſtquàm multas peragrâſſet regiones, ſcripſit *Itinerarium.* Vixit circa annum Dom. 1360. Hunc [x] Lucas Waddingus eundem eſſe putat cum Hugone Bernardo, tunc Provinciali Minoritarum Hiberniæ.

[x] *Annal. Minor. tom. 4. an. 1359. num. 10.*

Gulielmus de Drogheda, (ita dictus à loco ubi natus eſt,) educationem habuit Oxoniæ in Angliâ, ubi juris utriuſque, Arithmeticæ item & Geometriæ peritiſſimus evaſit. Scripſiſſe dicitur opus quoddam dictum *Summam auream*, & tractatum *de occultis.* Claruit ſub anno 1360. De eo vide D. Thomæ Iameſij cata-

catalogum librorum MSS. in bibliothecis Oxon. & Cantab. ubi numeratur inter authores, qui ſcripſerunt *De Iure Civili.* Conſule item Ioh. Bal. ſcriptor. Britan. centur. 6. cap. 9. ubi inter ſcriptores Anglicos collocatur.

Galfridus O Hogain, Minorita cœnobij Nenaghtenſis in agro Tipperarienſi, ſcripſit *annales* ſui temporis ab anno ſc. Domini 1336. uſque ad annum 1370. qui MSS. extant.

Henricus Crump monachus Ciſtercienſis cœnobij Baltinglaſſenſis & ex academiâ Oxonienſi S. Theol. Doctor claruit anno 1382. Is Richardi Armachani veſtigia premens, Oxoniæ publicè tenuit [y] *Fratres de 4. ordinibus mendicantium non eſſe nec fuiſſe Domino inſpirante inſtitutos, ſed contra concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio 3. celebratum, ac per ficta & falſa ſomnia, Papam Honorium ſuaſum à fratribus, eos confirmâſſe.* Has verò aſſertiones abjurare coactus eſt Standfordæ, in cœnobio Carmelitarum, coram Gulielmo Courtnæo archiepiſcopo Cantuarienſi. Hæreſeos porrò accuſatus eſt à Gulielmo *Andrew* Dominicano, Achadenſi primùm, tunc Midenſi epiſcopo, [z] quod docuerat *corpus Chriſti in altaris ſacramento eſſe ſolum ſpeculum ad corpus Chriſti in cælo.* Scripſit Henricus Crumpus ſecundum [a] Balæum,

Determinationes Scholaſticas, Lib. 1.
Contra religioſos mendicantes, Lib. 1.
Reſponſiones ad objecta, Lib. 1.

Scripſit etiam de fundatione omnium Monaſteriorum Angliæ, à tempore Birini primi Dorceſtrenſis epiſcopi, ad ætatem Roberti Groſted Lincolnienſis epiſcopi, qui obijt 1253. Libello ejus uſus eſt author rith-

[y] *Tho. Waldenſ. faſcicul. zizaniorum à Rmo Archiep. Armach. citat. in libro de religione antiq. Hiber. & Britan.*

[z] *Acta Guil. Andreæ citat ut ſuprà.*

[a] *Centur.* 14. *num.* 98.

morum, qui de vitâ S. Edithæ ſcripti ſunt, in bibliothecâ Cottonianâ.

[b] *De orig. relig. Franciſcan. par. 1. pag. 84. edit. Romæ 1587.*

Gulielmus Wodeford ([b] Franciſco Gonzagâ Gul. Woderfordenſis Anglus) ordinis Minorum, S. Theologiæ Doctor, ex academiâ Oxonienſi, obijt anno Dom. 1397. & Colceſtriæ in Angliâ ſepultus eſt. Hunc [c] Lucas Waddingus Hibernum facit, & rectiùs Gulielmum Waterfordienſem appellari aſſerit. At cum in libro ejus adverſùs Richardum Armachanum [d] qui MS. aſſervatur in bibliothecâ collegij Magdalenenſis & in alijs MSS. Oxoniæ. Gulielmus Wodeford vel Wideford (non Wadfordenſis nec Waterfordienſis) appelletur, non poſſum non Balæum, Poſſevinum, Pitſeum, & alios ſequi, qui Wodfordum Anglum faciunt. Porrò Gulielmus ille Waterfordienſis ſcripſiſſe dicitur [e] *Opuſculum de religione, inſcriptum Cardinali Iuliano Cæſarino anno 1433.* cùm Wodfordus obierit (ſecundum Balæum & Pitſeum) anno 1397. unde colligo Gulielmum Waterfordienſem planè diverſum fuiſſe à Wodfordo, cujus operibus in hoc catalogo, donec dies clariora doceat, non dedi locum. Qui verò titulos eorum ſcire avet, Balæum & Pitſeum adeat, ubi ſigillatim recenſentur.

[c] *Tom. 1. annal. Minor. ad an. 1240. n. 25. & tom. 4. ad an. 1395.*

[d] *Vide Tho. Jamcſ. Eglog. Oxonio-Cantab. edit. an. 1600.*

[e] *Vid. D. Wadding. loc. ſuprà citat.*

Magraithus mac Gawan Canonicus (ni fallor) cœnobij S. Ruadani Lurchoenſis in agro Tipperarienſi ſcripſit Hibernicè,

De Genealogijs Sanctorum Hiberniæ.

De ſucceſſionibus regum & regulorum Hibernicorum, cum adjunctis miſcellaneis quibuſdam. Vixit ſub exitum, ut opinor, hujus ſeculi. Opuſcula ejus MSS. habeo.

CAP.

Cap. XI.

Recenſentur Scriptores ſeculi 15. Auguſtinus Magraidin. Collus O-Deoran. Patricius Barretus. Iacobus Yong. Patricius Ragged. Monachus S. Iacobi Ratisbonenſis. Guilielmus Waterfordienſis. Anonymus Canonicus Loghkaenſis. Iohannes Hibernicus. Philippus Norris. Philippus O Higgin. Panderus, ſive author libri de ſaluto Populi. Carolus Magwirius. Donaldus O Fihely. Anonymus Minorita.

INeunte ſeculo 15. claruit Auguſtinus Magraidin canonicus Auguſtinianus cœnobij inſulæ omnium Sanctorum, quæ Shenano fluvio circumfunditur, in occiduo limite comitatus Longfordiæ, vir doctus & prudens. Inter cæteros ſtudiorum fructus, *ſcripſit vitas Sanctorum Hiberniæ*, & continuavit *Chronicon*, quod alij ejuſdem cœnobij canonici inceperant, uſque ad ſua tempora, cujus partem aliquam MS habeo, cum auctario poſt mortem ejus. Deceſſit die Mercurij proximè poſt feſtum omnium Sanctorum, anno Dom. 1405. & in dicto cœnobio ſepultus eſt.

Ejus æqualis fuit Collus Deoranus, patriâ Lagenienſis, Is porrò *annales* ſcripſit Hibernicos, qui MSS. extant. Obijt anno Chriſti 1408.

Patricius Barretus, Canonicus Auguſtinianus cœnobij B. Mariæ Kellenſis in Oſſoria, in epiſcopum Fernenſem ſacratus Romæ menſe Decembri anno MCCCC. ſcripſit

Catalogum Prædeceſſorum ſuorum, in ſede Fernenſi. Mortem obijt Novembris 10. MCCCCXV. & in cœnobio Kellenſi prædicto ſepultus eſt.

Iacobus *Yong* ſive Iunius ſcripſit *Monita Politica, de bono regimine*, ad Iacobum comitem Ormoniæ, Hiberniæ *locumtenentem*, Claruit anno 1420.

Patricius Raggedus fuit Corcagenſis primùm, deinde ſub anno 1417. Oſſorienſis epiſcopus. Dum epiſcopus eſſet Corcagenſis (annis nimirùm 1415. & 1416.) interfuit Concilio generali Conſtantienſi, ubi ob eruditionem & alias virtutes magnam conſecutus eſt venerationem. Scripſit *de actis illius Concilij*. Obijt 1421. Auguſti 20. vel ut alij habent, Aprilis 20.

Monachus Hibernicus cœnobij S. Iacobi Ratisbonæ in Bavariâ. Scripſit circa an. 1424. *de Sanctis Hiberniæ, Lib. 1. Et de rebus geſtis Caroli Magni, Lib.* 1. Sed auctor eſt mirè fabuloſus.

[a] *Vid. Waddingi tom. 4 annalium Minor. ad ann. 1395.*

Gulielmus Waterfordienſis ſcripſit [a] *Opuſculum de religione, inſcriptum Cardinali Iuliano, anno* 1433. De eo vid. plura in Gul. Wodefordo. pag. 74.

Canonicus quidam ordinis Præmonſtratenſium S. Trinitatis *de Loghkaa* in com. Roſcomanenſi ſcripſit accuratè *annales* rerum Hibernicarum, partim Latinè, partim Hibernicè, uſque ad ſua tempora, ſed eam duntaxat partem vidi, quæ incipit, anno Dom. 1249. & deſinit anno 1408. Vixit, ut conjicio, circa medium ſeculi 15.

Iohannes *de Hiberniâ*, Dominicanus, claruiſſe dicitur circa annum 1460. Et ſi Michaeli Plodio credamus, quem citat [b] Antonius Alfonſus Fernandes, ſcripſit librum dictum *Manipulum florum. In eo enim* (inquit) *ex omnibus ſacris authoribus optimorum quorumcunque flores elegit, ad omnes materias convenientes, circa annum 1460.* Cùm verò certum ſit Thomam Hibernicum, de quo ſuprà, cap. 9. ſcripſiſſe librum dictum

[b] *In notitiâ Prædicatoriæ familiæ.*

dictum *Flores Doctorum*, quem inchoaverat (uti diximus) Iohannes Gualenſis ſub titulo *Manipuli Florum*, non poſſum non ſuſpicari Plodium & ejus ſectatores, tam nomine authoris, quam tempore, hallucinatos. Utcunque in hâc re, nihil aſſeveranter affirmo, ſed ſuſpitionem meam duntaxat aperio. Sunt qui Iohannem quendam *de Hiberniâ*, Dominicanum itidem, librum ſcripſiſſe aſſerunt quem *Scalam Dei ſeu Cæli* inſcripſit.

Philippus Norriſius, natione Hibernus, S. Theologiæ Doctor, ex academia Oxonienſi, in patriam reverſus, factus eſt eccleſiæ S. Patricij Dublinienſis Decanus, ſub anno 1460. Is, Richardi Armachani veſtigia ſequutus, ſcripſit *adverſùs fratres mendicantes*. In quos etiam ſæpè in concionibus ſuis, invectus eſt. Unde multa paſſum ferunt. Scripſit [c] ſecũdùm Balęum

Declamationes quaſdam, Lib. 1.
Lecturas Scripturarum, Lib. 1.
Sermones ad populum, Lib. 1.
Contra Mendicitatem validam, Lib. 1.
Aliaque nonnulla. De eo vide plura apud Balæum.

[c] *Cent.* 14. *num.* 99.

Philippus Higgin, ordinis Minorum, [d] ſcripſit *Poemata ſacra.* Obijt anno Domini 1487.

[d] *Annal. Ulton.*

Panderus ſive author libri *de Salute Populi*, floruit temporibus Edwardi 4. Ed. 5. Rich. 3. & Henrici 7. fortaſſè etiam ſub Hen. 8. In eo libro oſtendit cauſas calamitatum Hiberniæ, & remedia præſcribit ijs temporibus aptata.

Carolus Magwirius patriâ Fermanachanus eccleſiæ Armachanæ canonicus, hiſtoricus inſignis. [e] Scripſit *annales Hiberniæ* uſque ad ſua tempora. Obijt 20. Cal. April. anno Domini 1498. ætatis ſuæ 60.

[e] *Ibid.*

In exitu hujus ſeculi vixit Donaldus O Fihely in Corcagienſi comitatu natus, qui annales Hiberniæ uſque ad ſua tempora Hibernicè perſcripſit, & Florentio Mahouno dicavit. Hos Londini MSS. vidi penes Florentium Cartæum, anno 1626.

Qui Donaldo coævus fuit, anonymus Minorita collegit & edidit *ſtatuta* ordinis Minorum in Hiberniâ.

Cap. XII.

Scriptores ſeculi decimi ſexti. Mauritius de Portu al. O Fihely. Nicholaus Magwirius. Thomas Brown. Thomas Fich. De Philippo Flattisburio & Annalibus Hiberniæ illi adſcriptis. Georgius Coglæus. Monachus Duiskenſis. Theobaldus Anguilbertus. Magnus ſive Manus O Donnell. Patricius Culin. Rodericus Caſſidaus. Patricius Finglaſſus. Edwardus Walſh. Thomas Waterfield. Nicholaus Stanihurſtus. Georgius Dowdallus. De Richardi Smithi patriâ cenſura. Thomas Long. Richardus Creagh. Edmundus Tannerus. Iohannes Vſſerius. Nicholaus Walſheus. Iohannes Kernaus. Richardus Stanihurſtus. Thadæus Dowlingus.

MAuritius de Portu vel O Fihely, ordinis Minorum, in comitatu Corcagienſi natus eſt (ut nuper traditum reperi) non procul à Baltimorâ, ubi antiqua fuit ſedes O Fiheliorum. Sunt verò qui prope Dunum in Vltoniâ, alij qui Galviæ natum tradunt. Adoleſcens in partes tranſmarinas profectus, Paduæ tandem in Italiâ hæſit, ubi S. Theologiæ doctor creatus,

à Iulio

à Iulio 2. poſt aliquot annos archiepiſcopus Tuamenſis deſignatus eſt. Hujus magno cum honore meminit [a] Iohannes Camers. *Annis* (inquit) *ab his proximis excelluit, ex Hiberniâ oriundus, Mauritius à Portu, D. Franciſci ordinis profeſſus, in Dialecticis utraque Philoſophiâ, Metaphiſicis ac ſacrâ Theologiâ plurimùm eruditus: Vix inſuper dici poteſt, quâ humanitate, quave morum ſanctimoniâ, præditus fuerit. Is cùm annis plurimis, in Patavino gymnaſio, bonas artes docuiſſet, cum ſummâ omnium gratiâ, ob ejus ſingularem eruditionem ac candidiſſimos mores, à Iulio ſecundo Pontifice maximo in Tuamenſem archiepiſcopum creatus eſt: Quò, cùm relictâ Italiâ, bellis, in eâ ſævientibus, proficiſceretur, non multùm pòſt, magnâ ſtudioſorum jacturâ, cùm nondùm 50. ætatis ſuæ attigiſſet annum, mortem obÿit. Erant plurima ſuæ doctrinæ, in manibus, monumenta, ſed ea ob immaturam ejus mortem, edere non licuit. Quantum fuerit inter eum, dùm viveret, & me, neceſsitudinis vinculum, teſtantur ſexcentæ epiſtolæ, quas plenas charitatis judicÿs, varÿs temporibus ad me dedit. Eis (quanta veræ amicitiæ vis) poſt amici obitum, relegens, ſoleo aſsiduè recreari.* Hactenùs Camers. Meminit etiam illius, [b] Franciſcus Gonzaga. *Mauritius* (inquit) *Hibernicus poſtillavit totam doctrinam Ioannis Scoti, & ejus univerſalia ſubtiliſsimè commentatus eſt. Edidit etiam dictionarium ſacræ Scripturæ.* Sed de operibus ejus audiamus etiam [c] Antonium Poſſevinum. *Mauritius* (inquit) *Hibernicus ordinis Minorum, quem fuiſſe ſcribunt archiepiſcopum Tuamenſem compoſuit Dictionarium ſacræ Scripturæ, quod primò editum eſt, illuſtriſsimo Matthæo Zane Veneto Patriarchâ jubente, Venetÿs anno 1603. apud Iohannem Antonium & Iacobum Franciſcum. quamvis non extet niſi uſque ad literam*

[a] *In 35. ep. Solini.*

[b] *De orig. Franciſcan. par. 1. pag. 88.*

[c] *In Apparatu ſacro.*

literam E. inclusivè. Quin & cum notis sive ut vocant postillis sive commentarijs, universam Iohannis Scoti doctrinam exposuit, Quæ, præsertim in Quæstiones, Venetijs prodierunt anno 1500. apud Simonem de Luere. Ejusdem item Theoremata, de mente Scoti, ibidem apud Lazarum Soardum, anno 1514. Enchiridion autem fidei anteà hoc est anno 1509. exierat ex officina Octaviani Scoti. Sed & Scoti scriptum Oxoniense ad 4. libros sententiarum, Lugduni Iacobus Mitt emisit. Cùm Iohannes Gracius, Parisijs ejusdem Reportata, Biennio anteà, hoc est 1518. edidisset. Sed & fertur Mauritium eundem scripsisse in vitam Iohannis Scoti, & librum distinctionum, qui Ravennæ apud Franciscanos asservatur, & Compendium veritatum 4. libris, (& quidem Carmine Leonino) asserit Henricus Villot, in verbo, Mauritius de Portâ, Scripsit etiam *In Porphirium, lib. 1.* qui editus est Venetijs 1519. Interfuit Mauritius noster anno 1512. duabus primis Sessionibus Concilij Lateranensis: [d] Nam invenitur ejus nomen in subscriptionibus episcoporum, qui in dictis sessionibus præsentes fuerunt. [e] Annoque insequenti, postquàm facultatem indulgentias quasdam concedendi, cuilibet Tuamæ exaudituro primam ejus missam, à Papâ impetrâsset, in patriam reversus est. Cæterùm Galviæ (sive Galvidiæ) ubi primùm appulit, in morbum incidit lethalem, quo ante missæ suæ celebrationem, correptus, decessit, & in ecclesiâ fratrum Minorum ibidem sepultus est. Liber obituum dictæ ecclesiæ (quem mihi communicavit D. Richardus Blakæus eques auratus Galvienſis) Mauritium eum (*Florem Mundi* ibi appellatum) obijsse ostendit 25. Maij Anno Dom. MDXIII.

[d] *Vid. Bin. tom. 9. Conciliorum.*

[e] *Annal. Ulton.*

Nicholaus Magwirius, vel Macwy, in Idronâ natus

tus eſt, ſed in Oxonienſi academiâ educatus. In patriam reverſus, factus eſt Prębendarius *de Hillard*, in diœceſi Leghlinenſi. Ob eruditionem, eâ ætate non vulgarem, & concionum aſſiduitatem, in ſummâ fuit apud Hibernos veneratione, & cùm nondùm 31. annos natus eſſet, proviſione Pontificiâ, ad epiſcopatum Leghlinenſem evectus eſt. Scripſit *Chronicon*, quo multùm ſe adjutum fatetur Thaddæus Dowlingus, in annalibus ſuis componendis. Scripſit etiam *Vitam Milonis prædeceſſoris ſui*, & alia, quæ immaturâ morte abreptus, imperfecta reliquit. E vivis exceſſit anno Domini 1512. vel 1513.

Thomas Brownus, presbyter ſecularis, ſcripſit ſub anno 1513. vitam Nicholai Maguirij epiſcopi Leghlinenſis, cujus capellanus fuerat. Quando obierit non comperi.

Thomas Fich, Canonicus regularis & ſubprior eccleſiæ cathedralis S. Trinitatis Dublinij, ſcripſit de rebus eccleſiæ ſuæ, Lib. 1. qui liber albus dicitur. Fortè etiam [f] Necrologium, ſive librum obituum ejuſdem eccleſiæ. Nam ejus tempore ſcriptum eſſe, è characteris genere liquet. Obijt 16. Cal. Februarij 1517. & Dublinij, in eccleſiâ S. Trinitatis ſepultus eſt.

[f] *Habetur MS. in Bibliotheca collegij S. Trinit. juxta Dublin.*

Philippum Flattisburium floruiſſe 1517. & adrogatum Geraldi comitis Kildariæ *diverſas Chronicas* ſcripſiſſe refert [g] Stanihurſtus, Et Flattisburius ipſe in initio annalium qui ſub nomine ejus extant MSS. de ſe & opere ita loquitur. *Hîc inferiùs ſequuntur diverſæ Cronicæ ad requiſitionem Nobilis & Præpotentis D. Geraldi filij Geraldi Deputati D. Regis Hiberniæ, ſcriptæ per Philippum Flattisbury de Iohnſton juxta le Naas, Anno*

[g] *Deſcript. Hib. cap. 7.*

Dom. MDXVII. *& anno regni Henrici Octavi* IX. Cæterùm collatis Annalibus ijs cum Hiberniæ Annalibus à Camdeno editis, ad calcem Britanniæ suæ, cujus potiorem partem scripsit uti [b] diximus Pembrigius, constat Flattisburium eorum verbarium exscriptorem fuisse non authorem, si parvulam quandam additionem excipiamus. Multos olim nomina sua præfixisse vel postposuisse libris, quos tantùm transcripserunt, certissimum est: unde sæpè evenit authores genuinos debito honore fraudatos.

[b] *Suprà pag.* 68.

Georgius Coglæus, notarius publicus, & curiæ Midensis *Registrarius*. Scripsit anno 1518. *catalogum* episcoporum Midensium à Simone de Rupe forti, Anglorum primo qui sedem illam obtinuit, usque ad Hugonem *Inge* cui coævus fuit.

Monachus Cisterciensis, cœnobij Duiskensis, in agro Kilkennicnsi, scripsit anno 1513. jussu Caroli Cavenagh abbatis sui, *Annales Hiberniæ*, quos continuavit posteà usque ad tempus suppressionis Monasteriorum, & regesto Chartarum dicti cœnobij inseruit.

Theobaldus Anguilbertus Medicinæ Doctor (Parisiensis ut opinor) scripsit librum, quem *Mensam Philosophicam* inscripsit. Impressus est Parisijs anno 1530. apud Iohannem de Harsy. In epistola, author *Hiberniensem* se profitetur.

Magnus sive Manus (filius Hugonis) O-Donnell Tirconallensis, scripsit Hibernicè anno 1532. magno volumine vitam S. Columbæ.

Patricius Culin, ordinis S. Augustini, in episcopum Clochorensem (post mortem Eugenij mac Camail) consecratus est circa an. 1516. Scripsit is, à Cassidæo archi-

archidiacono Clochorensi adjutus, regestum de rebus ecclesiæ suæ antiquis, & in eo *catalogum* episcoporum Clochorensium. Extat etiam *hymnus*, ab eo descriptus, de S. Maccartino primo ecclesiæ Clochorensis episcopo, in festo illius Sancti decantari solitus, cujus initium est.

Festum dignum celebrantes,
Sanctum virum venerantes,
Maccartinum & laudantes,
Exaudi nos Trinitas.

Mortem obijt anno Domini 1534. & in ecclesiâ suâ Clochorensi sepultus est.

Rodericus Cassidæus, archidiaconus Clochorensis, vir patriarum antiquitatum scientissimus, præter partem regesti, de quo suprà dixi, scripsit posteriorem partem annalium Ultonienſium, unà cum varijs interpolationibus prioris partis. Obijt grandævus, anno Domini 1541.

Patricius Finglas Iurisconsultus celebris, ab Henrico 8. factus est primarius fisci regij Baro, deinde 1534. primarius communium placitorum Iusticiarius. Scripsit de causis calamitatum Hiberniæ, & de remedijs.

Edwardus Walsh claruit anno 1550. Is in Angliam profectus, in familiam receptus est Edwardi de S. Mauro ducis Somersettensis, regis Edwardi 6. avunculi, tunc regnorum protectoris. sub eoque tempore scripsit (ut Balæus ei coævus refert) Anglicè, *de officijs pugnantium pro patriâ*, & tractatum *ut Hibernia per Dei verbum reformetur.* Epitome hujus libri habetur penes custodem Schedarum Regiarum, Westmonasterij. Quando aut ubi obierit, non comperi.

Ejus æqualis fuit Thomas Waterfield, archidiaco-

nus Leghlinenſis, qui ſcripſiſſe dicitur collectanea quædam de rebus Hibernicis. Citat eum Dowlingus in annalibus ſuis.

Nicholaus Stanihurſtus ſcripſit Latinè *Dietam Medicorum.* Et deceſſit anno 1554. ut è [i] Richardo Stanihurſto liquet.

[i] *In deſcript. Hib. cap. 7.*

Georgius Dowdallus, patriâ Louthianus, Georgij Cromeri prædeceſſoris ſui Officialis, in archiepiſcopum Armachanum ſacratus eſt, Henrici 8. mandato, ab Edwardo Stapleo epiſcopo Midenſi & alijs ſub initium Decembris 1543. A Papâ verò archiepiſcopus nominatus eſt [k] Robertus Waucopus, al. Venantus Scotus, S. Theologiæ Doctor Pariſienſis, *à puero cæcus,* qui Concilio Tridentino interfuit, & Pariſijs obijt, an. 1551. Dowdallus noſter regnante Edwardo 6. exul ad tempus in partibus tranſmarinis vixit, archiepiſcopatu interim Hugoni Goodacro S. Theologiæ Baccalaureo conceſſo, qui Dublinij obijt ſub initium Maij 1553. non ſine ſuſpitione veneni. Mariâ regnum adeptâ, in patriam redijt Dowdallus, & archiepiſcopatum poſtliminio recepit. Anno deinde 1558. in Angliam trajecit, ob eccleſiæ ſuæ negotia, ubi (non diù ante obitum Mariæ) 15. nempè Auguſti 1558. Londini è vitâ migravit. Scripſit *Conciones* quaſdam, & è Latino Anglicè reddidit *vitam* Iohannis Curcæi Ultoniæ expugnatoris, quæ *MS*[a]. extat.

[k] *Vid. Rader. Viridar. SS. de cæcis Sanctis. Sur. Commentar. pag. 528. & Georg. Lilij Chron. epitome.*

Richardus Smithus S. Theologiæ Doctor obijt Duaci in Arteſiâ. 7. Idus Iulij 1563. ætatis ſuæ 63. Hunc [l] Richardus Stanihurſtus Hibernum facit, & obſcuris parentibus, Rathmackneiæ ad 3. à Wexfordiâ lapidem, natum aſſerit. Sed cùm [m] Balæus, qui hominem novit, eum inter Anglicos ſcriptores numeret, &

[l] *Deſcript. Hiber. cap. 7.*

[m] *Centur. 9. tit. 46.*

& Smithus ipſe, tàm in epiſtolâ ad Philippum ab Hoſden, Divæ Gertrudis apud Lovanienſes abbatem, libro ſuo præfixâ, contra Philippum Melanchthonem, quàm in alijs ſuis operibus Lovanij editis, ſe Wigornienſem, Anglum, diſertè appellet, operum ejus tituli in catalogo meo non ponentur. Eos verò qui ſcire avet Poſſevinum adeat.

Thomas Long juris utriuſque Doctor Pariſienſis vixit 1576. Scripſit, juxta [a] Stanihurſtum, *De ſpeciebus, contra mendacem monachum. In Ariſtotelis Phiſica. Theſes ex præcipuis juris utriuſque partibus ſelectas, Carolo Borbonio Cardinali conſecratas.*

[a] *Deſcript. Hib. cap. 7.*

Sub eodem tempore Richardus Creagh patriâ Limericenſis, ſed Lovanij in Brabantia educatus, ſcripſit *de linguâ Hibernicâ, lib. 1.* qui MS. extat. Dicitur etiam ſcripſiſſe *De controverſijs fidei.* Item *Chronicon Hiberniæ, vitas Sanctorum Hiberniæ, & Catechiſmum Hibernicè.*

Ei coævus fuit Edmundus Tannerus (fortaſſe Tonneræus) S. Theologiæ Doctor, qui ſcripſit [b] *Lectiones in ſummam D. Thomæ.*

[b] *Ibid.*

Iohannes Uſſerius Prætor Dublinienſis an. 1574. pater D. Guilielmi Uſſerij eq. aurati ſenioris ſcripſit tractatum *De reformatione Hiberniæ*, qui MS. extat penes Reverendiſſimum Archiepiſcopum Armachanum.

Nicholaus Walſheus, academiæ Cantabrigienſis alumnus & eccleſiæ D. Patricij Dublinienſis Cancellarius, epiſcopus Oſſorienſis ſacratus eſt menſe Februario 1577. Scripſit is *Conciones* eruditas, quæ manu ipſius Latinè conſcriptæ etiamnum extant. Item novum teſtamentum, in ſermonem Hibernicum convertere aggreſſus eſt circa an 1573. id quod poſtea

è Græco præstitit Gulielmus Daniel S. Theologiæ Doctor nuper archiepiscopus Tuamensis, (qui obijt 11. Iulij 1628.) Conatum Walshei cædes execranda præcidit: Nam à Iacobo Dullard, homine perdito, quem ob adulterium in jus vocaverat, improvisò, cultro in domo suâ Kilkenniæ, trucidatus est 14. Decembris Anno Dom. 1585. Corpus ejus Kilkenniæ in ecclesiâ Cathedrali S. Canici sub marmore sepultum est.

Ei æqualis amicissimus collega Iohannes Kernæus Cantabrigiæ itidem educatus, ecclesiæ S. Patricij Dublinensis Thesaurarius, scripsit Catechismum Hibernicè, qui primus fuit liber (quod sciam) qui characteribus Hibernicis excusus est. Item novum testamentum Hibernicè reddidit, quod MS. extat. Mortem obijt circa annum Domini MDC.

Richardus Stanihurstus, Dublinensis, Oxoniæ ad tempus educatus, ubi dum adolescens esset, Commentarios scripsit in Porphirium; Scripsit posteà Latinè, de rebus in Hiberniâ gestis, Lib. 4. quos una cum appendice ex Giraldo Cambrensi, & annotationibus quibusdam edidit Antuerpiæ, anno 1584. Item vitam S. Patricij, quæ extat etiam ibidem impressa, 1587. Ac paucis ante obitum annis, Hebdomada Eucharistica, Duaci edita. 1614. Scripsit Anglicè descriptionem Hiberniæ, D. Henrico Sidnæo Hiberniæ Proregi dicatam, quæ in edito Holinshedo extat, & alia fortassè quæ ad manus meas non pervenerunt. Obijt admodùm senex Bruxellis anno 1618. Alberto Archiduci Austriæ à sacris, ut ex [p] Auberto Miræo liquet.

[p] *De statu relig. Christiana. lib. 1. cap. 52.*

Thaddæus Dowlingus, Thesaurarius primùm deinde

inde Cancellarius Leghlinenſis, Iuris Canonici peritus, ſcripſit circa annum 1598. *Annales breves Hiberniæ.* Item *Grammaticam Hibernicam*, & alia nonnulla. Obijt Leghlinæ grandævus anno 1628.

Noſtri ſeculi ſcriptores conſultò hîc omiſi, nè adulationis ſuſpitionem incurrerem. Plurimi eorum adhuc vivunt & ſcribunt, atque doctis ſatis noti ſunt.

Cap. XIII.

De BIOGRAPHIS *ætatis incertæ.*

AD Biographos jam venio, quorum tempora, indagine adhuc invenire non potui, ſuſpicor tamen pleroſque claruiſſe circa ſeculum octavum. Adjunxi hîc plerunq; initium cujuſque libri, deinde tempora quibus Sancti ipſi claruerunt, ut indè faciliùs authorum ætates cruantur.

Scriptor vitæ S. Patricij qui vitam ejus libris 2. complexus eſt. Sed caret initio. Extant etiam MSS. penes Re—— Archiepiſcopum Armachanum, præter antiquum anonymum, qui vitam ejus Hibernicè deſcripſit, duo alij anonymi Biographi, quorum unus incipit [*Patricius qui vocatur & Sucat*] alter ità [*Glorioſus confeſſor Patricius*] Obijt S. Patricius 17. Martij anno 492.

Scriptor antiquus vitæ S. Brigidæ, cujus initium eſt. *Fuit glorioſus rex in Hibernia nomine Felimid Irachtuiar, eo quod magnas in ſuo regno in Hibernia leges fecit.* Vitam Brigidæ 2. libris deſcripſit. Alius eſt Biographus qui incipit, *Erat quidam vir nobilis Leginenſis genere.*

genere. Deceſſit S. Brigida 1. Februarij anno 521. vel 523.

Scriptor vitæ S. Edani al. Moedochi primi epiſcopi ſive *archiepiſcopi* (ut loquitur anonymus ille) Fernenſis, ita incipit, *Fuit quidam vir nobilis in regionibus Connactorum nomine Sethna, & nomen uxoris ejus Ethne de ſemine Amlaigh.* Alius verò ejus vitæ ſcriptor ità incipit, *Fuit quidam vir nobilis in partibus Hiberniæ nomine Senia, habens uxorem nomine Ethneam.* uterque author eſt valdè antiquus. Obijt S. Edanus 31. Ianuarij an. 632.

Scriptor vitæ S. Brendani abbatis Clonfertenſis. Init. *Sanctus Brendanus filius Finlocha, nepotis Alti de genere Eogeni ſtagnili regione Mimenenſium ortus fuit.* Iſque author fuit vitæ illius, de qua ſuprà fit mentio pag. 13. Alius eſt author ejuſdem vitæ, cujus initium eſt, *Fuit vir vitæ venerabilis Brendanus nomine, qui tanquam aurora rutilans, peccatorum tenebras à multorum cordibus fugavit.* Deceſſit S. Brendanus die Dominico 16. Maij 577.

Scriptor vitæ S. Coemgeni al. Keivini primi abbatis vel (ut alij habent) epiſcopi Glendelacenſis. Init. *Vir erat in Provinciâ Lagenienſium (quæ eſt quinta pars Hiberniæ) in plebe viz. Dalmachſcoeb, quæ eſt in orientali plagâ Lagenienſium, ſuper ripas maris, cujus nomen dicebatur Coemloga.* Extat etiam ejus vita breviter deſcripta, quæ ita incipit, [*Natus eſt in Hiberniâ inſulâ*] Obijt S. Coemgenus 3. Iunij 618. alijs 621.

Scriptor vitæ S. Molingi ſecundi Fernenſis Epiſcopi ita incipit, *De auſtrali Lagenienſium plagâ quæ dicitur Kenſelach.* Feſtum S. Molingi agitur 17. Iunij. Quando obierit non comperi, niſi idem ſit cum Molingo

lingo *Luacra*, quem è Tigernaco obijſſe anno 696. intelligimus, quod non veriſimile videtur.

Scriptor vitæ S. Fintani abbatis Clonenachenſis. Init. *Fyntanus ſanctus filius Crumthini de finibus Lagenia oriundus fuit.* Vitâ exceſſit S. Fintanus 17. vel ut alij volunt 27. Feb. anno 603.

Scriptor vitæ S. Senani epiſcopi Iniſcattienſis. Initium deeſt in excerptis meis. Obijt S. Senanus an. 544. 6. Martij. Alij habent 1. Martij, ipſo nimirùm die quo S. David Menevenſis epiſcopus vitam hanc reliquit.

Scriptor vitæ S. Mocoemogi abbatis Liathenſis, incipit, *Beatiſſimus abbas Mocoemog de provinciâ Conactorum. ſc. de gente Conmacne paternam originem duxit.* Obijt Sanctus ille 3. Idus Martij. De anno nihil traditum reperi. Sed æqualis fuit Sanctis Columbæ & Congallo.

Author vitæ S. Finani Momonienſis abbatis *de Ceanhetich* incipit, *Fuit vir vitæ venerabilis.* Alius eſt author vitæ ejus qui ita incipit, *Finanus ſanctus de plebe quæ Corcudubne dicitur, ortus fuit.* S. Finanus par fuit S Brendano Clonfertenſi, & obijſſe dicitur 7. Aprilis. ſed quo anno nondum reperi.

Author vitæ S. Ruadani abbatis incipit, *Sanctus Ruadanus de nobilibus parentibus trahens originem.* Obijt S. Ruadanus 17. Aprilis, alij habent 15. Aprilis, anno 584.

Scriptor vitæ S. Cronani epiſcopi vel (ut alibi vocatur) abbatis Roſcreienſis, incipit *Glorioſus abbas Cronanus de provinciâ Momonienſium oriundus fuit, cujus pater Odranus vocabatur.* Deceſſit Cronanus 28. Aprilis. Claruit an. 580.

Scriptor vitæ S. Congalli al. Comgalli primi ab-

batis Bangorensis ita incipit *Beatus ac venerabilis abbas Comgallus nobilissimo Aradensium genere ortus, Patre Setneo Matre Brigâ editus est.* Obijt S. Congallus 10. Maij anno 600. vel 601.

Scriptor vitæ S. Carthagi primi episcopi Lismorensis incipit, *Glorioſus Christi miles Carthagus.* Obijt S. Carthagus 14. Maij. 637.

Scriptor vitæ S. Declani primi Ardmorensis episcopi. Initium deest in excerptis meis. At non longè à Declani seculo abfuisse scriptorem vitæ ejus, ex ipsa vita liquet; ubi sub finem hæc habemus verba, *Fertur nobis ab antiquis ejus discipulis, quod magnus exercitus in comitatu ejus solebat esse.* Festum S. Declani agitur 24. Iulij.

Scriptor vitæ S. Kiarani senioris, primi episcopi Saigerensis incipit *Beatissimus episcopus Kiaranus, Hiberniæ sanctorum primogenitus,* Festum hujus Kiarani agitur 5. Martij. Is & Declanus S. Patricio coævi fuerunt.

Scriptor vitæ S. Moluæ al. Lugidi. Initium in excerptis meis non notavi. Obijt Molua 4. Aug. anno 609.

Scriptor vitæ S. Canici abbatis Aghavoensis ita incipit, *Canicus Sanctus abbas de genere Connath-duinnegemin (quæ est aquilonalis pars Hiberniæ insula.)* Alius verò scriptor vitæ ejus incipit, *S. Kynnicus de genere Corcudaland ab aquilonali parte Hiberniæ ortus fuit. Hujus pater poeta fuit famoſus qui Laideeus dicebatur, mater verò Melda vocabatur.* Obijt S. Canicus 5. Idus Octobris anno 600.

Scriptor vitæ S. Munnu aliàs Fintani ita incipit, *Fuit vir vitæ venerabilis nomine Munnu de claro genere Hiberniæ insulæ, idem de nepotibus Neil, cujus pater vocabatur*

cabatur Tulcanus, mater verò Fidelmiæ dicebatur. Obijt S. Munnu 21. Octobris 635.

Scriptor vitæ S. Colmanni *Ela.* Obijt S. Colmannus *Ela* 6. Kal. Octob. anno 611.

Scriptor vitæ S. Barri aliàs Finbarri primi fundatoris & episcopi ecclesiæ Corcagiensis incipit, *Sanctissimus Dei Electus atque dignissimus pontifex Barrus de gente Conacteorum de plebe sc. quæ Ibruin Ratha dicitur, ortus est.* Claruit S. Barrus anno 600. Festum ejus agitur 7. Cal. Octob.

Scriptor vitæ S. Ædi episcopi incipit, *Sanctus episcopus Aidus filius Brichij de nepotibus Neil oriundus fuit.* Obijt S. Ædus al. Edus 10. Novembris 589.

Scriptor vitæ S. Albei incipit, *Albeus episcopus, virorum Momoniensium pater Beatissimus, & post S. Patricium secundus patronus.* Obijt S. Albeus 12. Septemb. 527.

Scriptor vitæ S. Abbani abbatis, S. Brendano coævi. Initium deest in excerptis meis.

Scriptor vitæ S. Kiarani junioris primi abbatis Clonmacnoisensis ita incipit, *Vir glorioſus & vitæ Sanctissimus abbas Queranus ex patre Boetio matre Darercha ortus fuit.* Obijt S. Kiaranus 9. Septemb. 549.

Scriptor vitæ S. Flannani episcopi Laonensis incipit *Fuit vir vitæ venerabilis Flannanus nomine, cujus vita tanquam lucerna ardens, per charitatem lucens, per fidei virtutem, in domo militantis ecclesiæ emicuit.* Claruit S. Flannanus anno 639. sub quo anno Romæ à Ioanne 4. Papâ consecratum ferunt.

Scriptor vitæ S. Baitheni Huensis abbatis incipit, *Reverendus pater Baithinus ab infantiâ suâ in verbo Dei & disciplinâ ab abbate* præclarissimo *Columbâ diligen-*

ter institutus est. Obijt Baithenus an. 599. ætatis suę 66.

Scriptor vitæ S. Fursæi incipit; *Fuit vir vitæ venerabilis Furseus nomine, nobilis quidem genere, sed nobilior fide.* Author is fuit antiquus, utpotè à Bedâ ter citatus, lib. 3. ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum, cap. 19. Sed dubium est an author fuerit Hibernus vel Gallus.

Scriptor vitæ S. Finiani episcopi (alijs abbatis) Clonardensis, ita incipit. *Fuit vir nobilis in Hiberniæ partibus Fintanus nomine, originis lineam trahens de filio Rudræythi.* Obijt S. Finianus 12. Decembris anno 552.

Scriptor vitæ S. Colmani Dromorensis episcopi incipit, *Beatissimus vir Colmanus Drumorensis episcopus, Aradeorum gente fuit oriundus.* Claruit S. Colmanus an. 630. Festum ejus agitur 7. Iunij.

Scriptor vitæ S. Berachi abbatis ita incipit, *Inter cætera quæ Dei plena potentia,* &c. Claruit S. Berachus an. 630.

Scriptor vitæ S. Molaisi al. Laseriani abbatis Daiminisiensis sive Devenishensis ita incipit, *Postquàm divinâ gratiâ operante per S. Patricij prædicationem infidelitatis tenebræ ab insulâ Hiberniæ sunt depulsæ.* Obijt Laserianus an. 571. 12. Septembris.

Scriptor vitæ S. Endei abbatis Aranensis ita incipit, *Mirabilis Deus omnipotens in Sanctis suis hunc virum sanctissimum sc. Endeum abbatem tanquam stellam perfulgidam huic mundo opaco transmisit.* Claruit S. Endeus circa an. 490.

Scriptor vitæ S. Fechini abbatis Favorensis aliàs Fourensis incipit, *Sanctus ac venerabilis abbas Fechinus, nobili parentum stemmate illustris, patre Kelcharnano, matre verò Lasreâ editus.* Obijt S. Fechinus 20.

Ianu-

Ianuarij anno 665. ſed Authornon valdè antiquus eſt, nam in eo libro, *adventus Anglicorum ad Hiberniam* meminit.

Scriptor vitæ S. Mochuæ *Ballu* (Colmanno *Ello* coævi,) ſic incipit, *Clarus genere vir erat nomine Mochua filius Lonand ex Lagnen Conactiæ trahens originem.* Feſtum ejus agitur 30. Martij.

Scriptor vitæ S. Tigernaci epiſcopi *de Cluana eois* (hodiè *Clones* in agro Monachanenſi) ita incipit, *Venerabilis Præſul Tigernacus regali ex progenie natus, nepos Echachi regis.* Deceſſit S. Tigernacus 5. Aprilis 549. vel 550.

Scriptor vitæ ſancti Columbæ abbatis Tirdaglaſſenſis incipit, *Sanctus Columba filius Crimthayn dictus, nobili Laginenſium genere ortus fuit.* Obijt S. Columba ſecundum quoſdam an. 550. ſed rectiùs ſecundum ſcriptorem vitæ ejus, eodem anno quo mortuus eſt S. Finianus Clonardenſis, anno ſc. 552.

Scriptor vitæ ſanctæ Samthanæ abbatiſſæ Clonbronienſis, cujus initium eſt, *Sancta & venerabilis virgo Samthana de Vltorum genere originem duxit, cujus pater Dyamranus, mater verò Columba vocabatur.* E vitâ migravit ſancta Samthana 19. Decembris 739.

Scriptor vitæ S. Athractæ virginis (quæ floruit circa an. 490.)

Multas porrò Sanctorum Hiberniæ vitas habemus in Iohannis Vicarij Tinmuthenſis *Libro ſervorum Dei minore, qui vocatur Santilogium,* quas tranſcripſit poſteà Ioh: Capgravius ſub cujus nomine extant. Floruit Io. Tinmuthenſis anno ſalutis 1366. Supereſt liber ejus MS. in bibliothecâ Cottonianâ: ſed neſcio an propriè dicamus illas vitas eſſe partus ingenij

25066

ejus: Nam credibile eſt eas ex authoribus Hibernicis exſcriptas eſſe, vel ſaltèm ſtylo ab eo tantùm mutato editas. Ibi præter vitas S. Patricij, Columbæ, Brigidæ, Pirani, (qui idem eſt cum noſtro Kiarano ſeniore) Brendani, Finani, Furſei & Cuthberti, de quibus ſupra fit mentio, habentur etiam vitæ Foilani, Indracti & ſociorum ejus martyrum, Fiacrij, Oſmannæ, Benigni, & Columbani. Sed in his anguſtijs, de authorum patriâ, ipſiſque authoribus nihil definiam.

Cap. XIIII.

1. De antiquis Academijs & ſcholis publicis meliaris notæ in Hiberniâ, Armachanâ, Clonardenſi, Roſ-carbrienſi, Caſſelienſi, Dunenſi, Dublinienſi, & Pontanenſi. 2. De exteris olim diſcendi ſtudio, in Hiberniam confluentibus.

1. DE Armachanâ academiâ, ſic ſcriptor vitæ S. Patricij, qui eam 3. libris complexus eſt, diù ante Anglorum adventum. *Ibi* (inquit) *B. Patricius civitatem, quæ dicitur Ardmacha, inſtituit, in quâ eſt omnis archiepiſcopatus Hiberniæ, quam valdè dilexit S. Patricius vivens, & in quâ ſummum conſtituit ſuum honorem per ſecula. In ipſâ jam civitate, ſc. Ardmachâ, ſummum ſtudium literale manet ſemper.* Academiam eam tantâ olim floruiſſe ſtudioſorum multitudine aſſerit [a] Florentius Cartæus, ut uno eodemque tempore, ibi pluſquam ſeptem millia fuerint. Gildam Albanium hîc ad tempus *ſtudium rexiſſe* tradit author vitæ ejus: & in annalibus Ultonienſibus, ſeriem habemus *lectorum* quo-

[a] *In epiſtola ſua de rebus Hibernicis.*

quorundam ibidem, etiam ipſis temporibus quibus Hibernia ſub Danorum crudelitatibus ingemuit.

Clonardæ, propè Boinum fluvium in Midâ, S. Finanum gymnaſium inſtituiſſe, ſuprà diximus. De eo in ejuſdē ſancti vitâ ſic legimus. *In loco qui Cluanaraird dicitur, velut ſol in medio cœli, S. Finianus radios virtutum & ſalutaris doctrinæ, atque miraculorum, illuſtrando mundum emiſit. Fama enim bonorum operum ejus, ex diverſis terræ partibus, viros illuſtres partim ad ſcripturam ſacram addiſcendam, partim ad eccleſiaſticam inſtitutionem percipiendam, quaſi ad quoddam Sapientiæ ſacrarium, attraxit: quorum nomina ſunt, Duo Kierani (Kieranus filius artificis qui* mac ɹtæɹp *dicitur, & Kieranus Saigre) Columba Kille, & Columba filius Crimthaind, duo Brandani, (Brandanus filius Findloga, & Brandanus Birra qui propheta in ſcholis illis, & Sanctorum Hibernienſium habebatur) & Laſerianus filius Nathfraith, & Sinell filius Maënaci, & Caineeus filius nepotis Dalund, & Ruadan Lothra, & Nannyd Lamdera, & Mugeneac Killicumuli, & Epiſcopus Semnach.* Et in vitâ S. Moluæ. *Venit ad Sanctam Scholam S. Finiani in ſuâ civitate Cluain-haiaird, quæ eſt in confinio Laginenſium & nepotum Neil: in quâ Scholâ multitudo Sanctorum Hiberniæ divinitatem apud S. Finianum ſervabantur.* Scholam & ſcholas hîc Academiam vel Gymnaſium ſignificare, res ipſa loquitur. Atque ſcholam eandem Ciceronis ætate habuiſſe ſignificationem, ubi vox Grammaticalis non adjuncta fuit, è Cicerone rectè colligit Iohannes Caius, *Nam* (inquit) *De naturâ Deorum ſic ſcribit, Ex Platonis ſchola Ponticus Heraclides: Et de finibus* bonorū & malorum, *in Epicuri ſcholâ* &c. *In Epiſtolis habes ſcholam Stoicam, & alio in loco, homo*

[b] *De Antiquitate Cantabrig. Academiæ. lib. 1. pag. 177.*

ad

ad perſuadendum concinnus, perfectus, politus ex ſchola, De officijs: Sed de hoc genere commodiùs à quibuſdam optimis viris, ad medium januæ ſedentibus, quam ab ullis Philoſophis ullâ in ſcholâ diſputatur. De Divinatione item: multa iſtiuſmodi dicuntur in ſcholis. In Tuſculanis quæſtionibus: ut jam etiam ſcholas Græcorum more habere auderemus: Et rursùm, Fuiſti ſæpè credo cùm Athenis eſſes in ſcholis Philoſophorum. In Oratore: è Philoſophorum ſcholis tales ferè evadunt. Et rurſùm: Clamabunt credo omnia Gymnaſia, atque omnes philoſophorum ſchola. Quid multa, nuſquam non occurrunt ſchola & ſcholæ in Gymnaſij ſignificatione apud Ciceronem & probatos authores: niſi vox Grammaticalis adjungatur. Sic Caius.

Roſſæ in Carbriâ (antiquitus Roſſ-ailithry) S. Fachnanum (qui floruit anno 599.) cœnobium erexiſſe alibi diximus. *Ibi crevit civitas* (inquit ſcriptor vitæ S. Mocoemogi) *in quâ ſemper manſit magnum ſtudium ſcholarium, quæ dicitur Roſſ-ailithry.* S. Brendanum ibidem artes liberales prælegiſſe, aſſerit in chronico ſuo Meridithus Hanmerus.

De ſcholis ſive academijs antiquis Dunenſi & Caſſelienſi, fit nuda mentio apud Flor. Cartæum. Sed de ijs nihil prætereà traditum reperi.

Alexandrum Bignorum Archiepiſcopum Dublinienſem Academiam Dublinij erexiſſe, & Iohannis XXII. authoritate confirmari curâſſe, alibi oſtendimus. De eâ, vide plura in Pembrigij annalibus à Gul. Camdeno editis, ad an. 1320. & in annalibus Minorum [c] Lucæ Waddingi. Sed deficientibus facultatibus unde alumni alerentur, academia ipſa paulatim defecit. E Waddingo etiam Ioh. Lechum, Bignori deceſſo-

[c] Tom. 3.

ceſſorem, à Clemente 5. bullam procurâſſe fundationis *univerſitatis ſcholarium* ibidem anno 1312. liquet, ſed quod morte abreptus fuerit anno ſequenti, irrito ſucceſſu. Tandem verò Elizabetha Regina Dublinio Academiæ honorem reſtituit: Nam Collegium SS. Trinitatis nomini conſecratum, juxta Dublinium poſuit, (ubi olim Dermitius filius Murchardi rex Lageniæ omnium Sanctorum monaſterium, Canonicis Regularibus fundaverat) prædijs ditavit, & academicis ornavit privilegijs. Martij 13. anno 1591. (ſtilo Anglicano) jacta ſunt fundamenta, & 9. Ianuarij 1593. ſtudioſi primùm admiſſi. Nec prætermittere hîc licet munificentiam inclyti ejus ſucceſſoris Iacobi Regis, qui huic collegio, præter annuam 388. librarum & 15. ſolid. monetæ Anglicæ è fiſco penſionem, ampliſſimas in Ultoniâ poſſeſſiones elargitus eſt. Atque hæc unica nunc eſt Hiberniæ academia, Athenæ noſtræ.

Pontanæ (quam *Droghedah* & *Tredagh* vulgò vocamus) academiam authoritate Parlamentaria erectam, & Oxonienſis academię privilegijs ornatam, ſub anno 1465. docent [d] archiva regia. Sed paùlatim evanuit.

[d] *Rot. Parlam. an. 5. Ed. 4. in Cancellaria.*

De academijs, apud exteras nationes, Hibernorum operâ excultis, vide quæ ſuprà dicta ſunt in Albino.

2. Anglo-Saxones, Britannos & Gallos in Hiberniâ olim bonarum literarum diſcendarũ gratiâ (tanquam ad Artium liberalium Emporium) confluxiſſe, è locis ſequentibus indagatori patebit. viz. è Bed. li. 3. hiſtor. eccleſiaſticæ gent. Anglor. cap. 7. & 27. & lib. 4. cap. 26. ex Alcuin. in proſaicâ S. Willibrordi vitâ, cap. 4. & lib. 2. de vitâ ejus carmine, cap. 1. & 33. ex Erici

Antiſſiodorenſ. monachi, Lib. 1. cap. ultimo, de miraculis S. Germani, & è Sulgeni vitâ, à filio ejus Ioanne, (qui floruit anno 1085.) carmine deſcriptâ. [e] Unde verſiculos ſequentes ſubjicere non pigebit.

[e] *Vid. Illuſtriſ. Archiep. Armachan. præfat. in vet. epiſt. Hiber. Syllog.*

Exemplo patrum, commotus amore legendi,
Ivit ad Hibernos Sophiâ, mirabile, claros.

Deinde,

Poſt hæc ad patriam remeans, jam dogmate clarus
Venit, & inventum multis jam dividit aurum;
Proficiens cunctis diſcentibus undique circùm.

[f] *Britan. pag. 730.*

Indeque priſci Angli majores noſtri (ut notat [f] Camdenus) *rationem formandi literas accepiſſe videantur, quùm eodem planè charactere uſi fuerint, qui hodie Hibernicis eſt in uſu.*

DE SCRIPTORIBVS HIBERNIÆ.

Liber ſecundus.

Cap. I.

Scriptores exteri qui dignitates aliquas in Hiberniâ geſſerunt ab anno Chriſti CCCC. uſque ad Anglorum adventum ſub Henrico ſecundo. Palladius. S. Patricius. Secundinus. Mal. Lumanus. Patricius nepos S. Patricij. Gildas Albanius. Moctæus. Maçhutus. Gildas Badonicus. De libro Agilberto aſcripto, conjectura. Egbertus. Willibrordus. Gildas quartus. Iohannes Paparo. Gilbertus monachus Ludenſis.

PAlladius epiſcopus in Hiberniam appulit anno Domini 431. à Celeſtino Pontifice miſſus, tum ad fidem Chriſtianam propagandam, tum ad Pelagianam hereſim, tunc apud Hibernos pullulantem, extirpandam. Sed cùm in munere demandato paululſper deſudâſſet, Romam reverſurus apud Pictos deceſſit. Ad eum annum Palladium à

Celestino Papâ, ad Scotos in Christum *credentes*, missum, testantur Prosper Aquitanus, Beda, Marianus, Florentius Wigorn. Sigebertus, alij. Per Scotos, non Scotos Albanos, hîc intelligi, sed Hibernos, tunc temporis vulgò Scotos appellatos, mihi certò constare videtur. [a] Nennius author antiquus (qui floruit anno DCCCLVIII.) disertè asserit *profectum Palladium de Hiberniâ, pervenisse ad Britanniam, & ibi defunctum esse, in terrâ Pictorum.* quod firmat [b] Iocelinus monachus Furnessensis. *Præmiserat* (inquit) *præfatus Papa prædicandi gratiâ in Hiberniam, ante illum* (de S. Patricio loquitur) *alium doctorem nomine Palladium.* Et post pauca, *Hibernicis verò prædicationi non credentibus, sed obstinatissimè oppugnantibus, à regione illorum discessit. Romamque tendens, in Britannia, infra fines Pictorum, in fata decessit.* His astipulatur [c] Iohannes Tinmuthensis in vitâ itidem S. Patricij, ac idem colligatur tam ex ejusdem vitâ, à Probo descriptâ, quam è Prospero Palladij æquale, qui libro contra Iohannem Cassianum, quem Collatorem appellat, cap. 4. de Celestino loquens, *Ordinato* (inquit) *Scotis episcopo, dum Romanam insulam* (Britanniam sc.) *studet servare catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.* ubi insulam ad quam missus est Palladius, planè distinguit à Britanniâ, cujus pars est hodierna Scotia. Palladium nostrum, Balæus partim cum [d] Palladio Gallatâ confundit, (Helenopolitano primùm deinde Asponitano episcopo) partim cum Palladio Amasieni episcopo. Tribuitur ei à [e] Trithemio [f] & Gesnero, liber

De vitâ S. Iohannis Chrisostomi.

Sed liber ille est Georgij Alexandrini archiepiscopi non Palladij, ut ostendit doctissimus archiepiscopus Arma-

[a] *Lib. de gestis Britonum MS.*

[b] *Vita S. Patr. cap. 25.*

[c] *MS. in biblioth. D. Tho. Cottoni Baronetti.*

[d] *Vid. Illustr. D. Ja. Armach. Archiep. lib. de Britan. eccles. primord. ca. 16.*

[e] *Lib. de Script. eccles.*

[f] *Bibliothec. universal.*

Armachanus, loco ſuprà citato. Addit [g] Balæus (è cerebro ut creditur ſuo) ſcripſiſſe etiam

Contra Pelagianos, Lib. 1.
Homelias plures, Lib. 1.
Epiſtolas ad Celeſtinum, Lib. 1.

Præter ea quæ Græcè priùs ediderat. Intelligit fortè Lauſiacam hiſtoriam quæ ab alijs Paradiſus dicitur. Extat Latinè in appendice ad vitas patrum: Sed opus eſt Palladij Gallatæ, non noſtri. Obijt apud Pictos, in itinere, Romam reverſurus, 15. Decembris anno ab adventu Salvatoris CCCCXXXI. eodem nempe anno, quo in Hiberniam venit, ſic vulgò traditur. Cæterùm in annalibus Iniſſallenſibus MSS. (qui penes me ſunt) *hîc uno anno manſiſſe* fertur, *& in Britannia quieviſſe in Chriſto.* Ibi *martyrium paſſum* innuit [h] Tirechanus.

De morte Palladij, quamprimùm Celeſtinus reſcivit, S. Patricium in epiſcopum paulò ante conſecratum, delegit qui demortuo Palladio ſuccederet, in hoc tanto negotio, de converſione Hiberniæ, ab ethnicâ ſuperſtitione, ad veritatem Evangelicam. Fuit is natione Britannus, in baptiſmo à parentibus *Succat* dictus, [i] *natus in opido Empthor* al. Nemthur poſteà Kirk-Patrick appellato, quod nunc pars Scotiæ eſt, ubi *olim vallum illud terminatum fuiſſe* oſtendit [k] R. D. archiepiſcopus Armachanus *quod à Romanis Barbaros diſcludebat.* Hûc pervenit anno 432. ubi propter labores in fide Chriſtiana ſtabilienda exantlatos, de eccleſiâ Hibernicâ optimè meritus, Hiberniæ Apoſtolus vulgò dictus eſt. Scripſit S. Patricius vel ſcripſiſſe fertur

[l] *De tribus habitaculis al. de gaudijs electorum & pœnis damna-*

[g] *Centur. 14. Britan. Scriptor. num. 7.*

[h] *In vitâ S. Patricij MS.*

[i] *Flovent. Wigorn. & Jocel. vit. Pat. ca. 11.*

[k] *De Britan. eccleſ. primordio cap. 17.*

[l] *Boſton. Burienſis lib. de Scriptor. eccleſiaſticis.*

damnatorum, Lib. 1. qui extat in Tomo 9. operum S. Augustini, cui à quibusdam tribuitur. Initium est *Tria sunt sub omnipotentis Dei nutu habitacula.*

Lib. qui Charta S. Patritij dicitur al. de antiquitate Avalonicâ, cujus initium est. *In nomine Domini nostri, Iesu Christi, Ego Patricius humilis servunculus Dei.* Sed à quibusdam, Patricio juniori tribuitur.

Confessionem suam. quæ MS. extat (ut accepi) in Bibliothecâ ecclesiæ cathedralis Sarisburiensis in Angliâ.

[a] *Iocel. vit. Pat. cap. 150.* [a] *Epistolam commonitoriam ad Coreticum* al. *Cereticum*, quæ extat itidem MS. ibidem.

[b] *Id. cap. 185.* [b] *Proverbiorum, Lib. 1. Hibernicè.*

De abusionibus seculi, Lib. 1.

Extant canones unius synodi ab eo coactæ, & alterius ab eo, Auxilio & Isserno, inter Concilia Britannica nuperrimè à V. C. Dom. Hen. Spelmanno equ. aurato edita. Atque de his (& alijs fortè amissis) canonibus, intelligendus est [c] Iocelinus, ubi Patricium magnum volumen scripsisse asserit, quod dicitur *Canoin-Phadruig, id est Canones Patritij.*

[c] *Vit. Patr. cap. 185.*

Circumferuntur etiam justo volumine colloquia quædam Hibernicè, de rebus Hibernicis, in quibus colloquentes introducuntur S. Patricius, Coltius & alij contemporanei. Sed opus est posterioris ævi.

Addit Balæus Patricium scripsisse,

Odaporicon Hiberniæ. Lib. 1.

Historiam Hiberniæ ex Ruano. Lib. 1.

[*] *Idem est opinor cum eo qui supra de tribus habitaculis dixerat.* [*] *De futurâ electorum vitâ. Lib. 1.*

Abjectoria numero 366. Nennio *Abgetoria 365.* aut eo amplius.

Sermonum Lib. 1.

* Ad

* *Ad Avalonicas incolas epiſtolam.*

Ad Hibernienſes eccleſias, & adſues Brytannes epiſtolas plures.

* Fortè ea quæ ſuprà Chartæ Patricij dicitur.

Quid per abjectoria ſive abgetoria (de quibus ſuprà fit mentio) intelligamus, docet Tirechanus, antiquus vitæ S. Patricij ſcriptor ineditus, locis ſequentibus inter ſe collatis. *Baptizavit* (inquit, de S. Patricio loquens) *quotidiè homines, & illis literas legebat ac Abgatorias.* Deinde, *Perrò fundavit eccleſiam Iſurrigdegri, & alteram eccleſiam Ininruig Thuaithe & ſcripſit elementa Cerpano.* Hæc Lib. 1. Poſteà, *Et eccè quidam vir venit ad illos nomine mac Dregin cum filijs 4. gentilibus, & poſtulavit baptiſmum dei à Patricio, & benedixit illum, cum filijs, & elegit unum filium ex ipſis, cui nomen erat mac Erca & ſcripſit elementa, & benedixit eum benedictione* * *P S,* Item poſtquàm baptizâſſet quendam Hinu dictum, *ſcripſit* (inquit) *illi abgatorias, & benedixit eum benedictione epiſcopi.* Unde conſtat (opinor) Nennij abgetoria, (Balæo perperàm abjectoria) ſignificare Alphabetum, ſive elementa quæ ſcripſit & docuit S. Patricius: Ac falli Balæum, & ejus ſequaces, qui *abjectoria* ea, inter opera S. Patricij enumerant. Vitam hanc mortalem reliquit, immortalem acceptarus, annos natus 120. an Dom. 492. 17. Martij, (quo die memoria ejus celebratur,) cùm diù antè obitum archiepiſcopatui reſignâſſet.

Lib. 1.

Ibid.

Lib. 2.

* fortè Preſbyteri.

Ibid.

S. Secundinus al. Sechnallus epiſcopus, vulgò S. Schaghlinus, filius Reſtituti Longobardi & Darercæ ſororis Patricij cõpoſuit, eodẽ quo mortuus eſt anno, *Hymnum in laudem S. Patricij* ſecundum ordinem Alphabeti, cujus initium eſt *Audite omnes amantes deum, Sancta merita viri in Chriſto beati, Patricij epiſcopi.*

De

De hymno eo fit mentio apud [p] Iocelinum Furneſſenſem. In Hiberniam venit ſub anno 439. ad quem an. in Annalibus Ulton. ita legimus. *An. 439. Secundus [al. Secundinus] Auxilius & Iſerninus mittuntur & epiſcopi ipſi in Hiberniam, in auxilium Patricij.* Deceſſit anno 448. ad *Dunſhaghlin*, (villa eſt in dioceſi Midenſi ab eo ſic denominata,) & in eccleſiâ ſuâ ibidem ſepultus eſt, ætatis ſuæ anno 75. De eo conſule, ſi plura velis, Iocelinum cap. 176. & 177.

[p] *Vit. S. Pat. cap. 177.*

S. Mælus aliàs Mel Britannus, S. Patricij è Darercâ ſorore nepos, primus eccleſiæ Ardachadenſis epiſcopus ſcripſit librum

[q] *De virtutibus & miraculis S. Patricij* tum viventis. Obijt Ardaghæ, anno 488. vel ſecundum Annales Ultonienſes, 487. ubi ad eum annum ita annotatum invenimus, *Quies S. Epiſcopi Meil in Ardach.*

[q] *Jocel. cap. 186.*

Lumanus Britannus itidem, & S. Patricij, è ſorore Tygridiâ nepos, eccleſiæ Trimmenſis in Midiâ epiſcopus, ſcripſit etiam, ut è [r] Iocelino conſtat,

[r] *Acta (avunculi ſui) S. Patricij.*

Ibid.

De tempore obitus nihil comperi. Qui plura de eo ſcire avet, conſulat Iocelinum, cap. 39. 50. 51. & 52.

Alius porrò S. Patricij nepos, Patricius dictus, vitam patrui ſui compoſuit. [s] *Is poſt deceſſum patrui ſui Britanniam remeans, in fata deceſſit, & in Glaſtonienſi eccleſiâ ſepultus eſt honorificè.* Sic Iocelinus.

[s] *Ibid.*

Gildas Albanius (quem Balæus S. Patricij diſcipulum appellat) è Regio Britannorum ſtemmate ortus, poſtquàm in Hiberniâ ad tempus euangelizâſſet, & academiam Armachanam rexiſſet, quamprimùm Howelum fratrem ab Arthuro rege in prælio occiſum reſcivit, in Britanniam redijt, & regi circa annum

num 508. reconciliatus, in cœnobio Lancarvanenſi, Cadoci abbatis ſuaſu, ludum aperuit literarium, unde anno ſequenti ad inſulam *Echni* ſeceſſit, ſed eâ paulò poſt, piratarum Orcadienſium metu, relictâ, Glaſtoniam petijt, & prope eam ad ripam Axi fl. eccleſiam condidit, S. Trinitatis nomini dicatam, ubi reliquum vitæ ſolitariè tranſegit. Obijt 4. Calend. Febr. anno æræ noſtræ Chriſtianæ 512. & corpus Glaſtoniam delatum, ibidem ſepulturæ traditum eſt. Scripſit ſecundùm [t] Balæum

[t] *Centur. 1. num. 50.*

Commentarios Euangeliorum, Lib. 1.
De primis habitatoribus inſulæ, Lib. 1.
Verſus vaticiniorum, lib. 1. O rabiem Britonum quos
De ſexto cognoſcendo, lib. 1. Ter tria luſtra tenent,
Super eodem ſexto, lib. 1. Cambria Carnarvan, Angl.
Regum Britannorum hiſtoriam, lib. 1.
De victorâ Aurelij Ambroſij, lib. 1.
Acta Germani & Lupi, lib. 1.

Et alia non pauca. In Cœnobio Lancarvanenſi librum 4. Euangeliſtarum ſuâ manu exaratum reliquiſſe traditur, unde effinxit (opinor) Balæus ſcripſiſſe eum dictos in Euangelia Commentarios.

Moctæus (Iocelino Moccheus) Britannus, *patriam parenteſque deſerens, pro domino Hiberniam petijt*, factuſque vivente S. Patricio Ludunenſis ſive Louthenſis epiſcopus, illam ſedem gubernavit uſque ad annum 535. al. [u] 534. quo hanc vitam reliquit 13. Cal. Septemb. Unde deceptum videamus Iocelinum, qui Mocchei vitam, [x] *300. annis prolongatam*, refert, Patricij ſententiâ, in pœnam incredulitatis. Is fuit *proſelitus ille Brito, homo Sanctus, S. Patricij epiſcopi diſcipulus*, quem [y] Adamnanus, de S. Columbâ prophetâſſe refert,

[u] *Annal. Ulton.*

[x] *Vita S. Patr. cap. 135.*

[y] *In 2. p. præfat. vitæ S. Columbæ.*

fert, sed in libro impresso, corruptè *Maueteus* legitur. Scripsit epistolam, cujus hæc fuit inscriptio, [a] *Mauctæus peccator, presbyter S. Patricij discipulus, in domino salutem.* & secundùm [a] Balæum, *Prognostica nativitatum.* Videtur etiam alia composuisse. Nam is fuit (opinor) quem in annalibus Ultonienſibus, ita citatum invenio. *Anno 471. Præda prima Saxonum, de Hibernia, ut alij dicunt, in isto anno deducta est, ut Mactæus dicit, Sic in libro Cuanach inveni.* Moctæum hunc Balæus, & qui eum secuti sunt, cum Bachiario, cujus meminit [b] Gennadius, & cujus extat ad Ianuarium, de recipiendis lapsis epistola, malè confundunt. Fingit porrò [c] Dempsterus *Bacchiarium cognomento Macceæum scripsisse ad Leonem I. papam pro peregrinatione librum unum.*

[a] *Annal. Ulton. ad an. 534.*
[a] *Cent. 1. num. 46.*
[b] *Catal. viror. illustr.*
[c] *Histor. eccles. Scot. lib. 2. num. 162.*

Machutus aliàs Maclovius, Britannus, S. Brendani Clonfertensis discipulus, sociusq; in peregrinatione, claruit anno CCCCCL. Is Hiberniâ tandem relictâ, Aletham petijt in Britannia Armorica, quæ [d] *à multis annis antiquatâ priori nomenclaturâ, à patrono suo, Maclouiensis* (& vulgò St *Malo*) *dicitur.* Ibi episcopus præfuit. *Insigniter literatus erat* (inquit [e] Balæus) *& quasdam Epistolas reliquisse dicitur.*

[d] *Molan. Natal. SS. Belgij, ad diem 15. Novemb.*
[e] *Centur. 1. num. 56.*

Addit verò pro libidine sua [f] Dempsterus *Machutem* scripsisse,

[f] *Lib. 12. num. 831.*

De fortunatis insulis, Lib. 1.
Epistolas ad Britannicas ecclesias, Lib. 1.
Epistolas ad Brendanum, Lib. 1.
Ordinationes suæ ecclesiæ.

Atque ordinationes eas, *Aletha in Aremoricis, asservari* asserit. Sunt qui Hibernum fuisse autumant, sed perperàm. Ab Hugone Kirkestidio Cistercienſi, (qui

(qui claruit an. 1220.) *Machittus, monachus & epiſcopus Hiberniæ* appellatur, ibique *Gigantem ſuſcitâſſe & baptizâſſe, ac per ſeptennium, cum Brendano navigâſſe* fertur. Ubi pro Machitto fortè reponendus eſt Machutus. *Citra eram Britannici maris editum, & Patrem ejus Guent nomine, Comitem fuiſſe, urbiſque* Gimicaſtri *conditorem* &c. aſſerit Sigebertus Gemblacenſis, ut è Surio conſtat ad 15. Novembris. Hinc (opinor) *nobilibus ortum in Scotiâ parentibus, Comite ſcilicet de Guincaſtle & matre comitiſſâ cui nomen Darnall* colligit [g] David Camerarius. Sed quàm verè judicent alij.

[g] *De Scotorum fortitudine, &c. lib. 3. pag. 198.*

Circa annum CCCCCLXVI. ab Amiracho (al. Ainmireo & Ainmerico filio Setnai) Hiberniæ rege accerſitus, in Hiberniam, è Britannia venit Gildas Badonicus, ſed cùm exiguo tempore euangelium ibi prædicâſſet, Amiracho rege interempto, anno 568. vel 569. in patriam redijt ubi [h] anno inſequenti è vita migravit. Scripſit ſecundùm Balæum,

[h] *Annal. Ulton.*

De Excidio Britanniæ, Lib. 1. In hâc epiſtolâ quicquid.
In ſui temporis clerum, lib. 1. Britannia habet ſacerdotes.
Conciones mordentes, Lib. 1.

Eſaias propheta dicit, Væ vobis.

Hiſtoriam quandam, Lib. 1.

Alboinus Longobardorum rex.

De immortalitate animæ, Lib. 1.

Atque alia quadam. Hunc cum priore Gilda (Albanio ſc.) confundit author vitæ ejus. Natalem ejus in Britannia celebrari 4. Kal. Februarij notat Ioh. Molanus in Martyrologio.

Pontificem Agilbertum, natione Gallum, legendarum gratiâ ſcripturarum, in Hibernia non parvo tempore demoratum, inde in Angliam profectum, Geviſſorum ſi-

ve occidentalium Saxonum, aliquandiu episcopum extitisse, posteáque *Galliam redijsse, & accepto episcopatu Parisiacæ civitatis, ibidem senem & plenum dierum obijsse* docet Beda, lib. 3. cap. 7. Contra eum, Hildam abbatissam scripsisse *pro veterum rituum observatione librum I.* asserit (quo authore nescio) [i] Balæus. Hinc fortè Dempsterus arripit sibi occasionem fingendi Agilbertum [k] *de errore Paschatis celebrandi corrigendo magnum volumen scripsisse.* Certè apud Bedam, de utroque libro altum est silentium: Attamen disceptationes synodi, in cœnobio Hildæ [l] Pharensi coactæ anno 664. (cui Hilda & Agilbertus ipse interfuerunt) de Paschate & tonsurâ coronæ copiosè [m] persequitur.

[i] *Centur. I. num. 80.*

[k] *Histor. eccles. Scot. lib. I. num. 49.*

[l] *Hodie Whitby dicitur.*

[m] *Lib. 3. cap. 25.*

Egbertum itidem nobilem Anglum in Hiberniâ studio scripturarum operam dedisse, indeque in insulam *Hyensem* profectum, ibidem, 8. *Kalendarum Maiarum* nimirùm ipso sancto Paschatis die anno 729. *migrasse ad dominum*, annos natum 90. postquàm monachos Hyenses, *Apostolico more* Paschatis celebrationem perdocuisset, ostendit venerabilis [n] Beda. Scripsit secundùm [o] Balæum,

[n] *Vid. eccles. Histor. Angl. lib. 3. cap. 27. & lib. 5. cap. 23.*

[o] *Centur. I. num. 91.*

De ritibus Catholicorum, lib. I.

De Paschali observatione, lib. I.

Conciones varias, lib. I. & alia quædam. Sed penes eum sit fides.

Willibrordus, Anglo-Saxo, Ultrajectinus archiepiscopus, in Hiberniâ *duodecim annos* (inquit [p] Alcuinus) *inter eximios simul piæ religionis & sacræ lectionis magistros, futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur.* Et in initio lib. 2.

[p] *Lib. I. vitæ Willibrordi.*

Venerat occiduis, quidam de finibus orbis,

Vir-

Vir virtute potens, divino plenus amore,
Ore ſagax, & mente vigil, & fervidus actu;
Ad te, temporibus Pippini, Francia felix:
Quem tibi jam genuit fœcunda Britannia mater,
Doctaque nutrivit ſtudijs ſed Hibernia ſacris,
Nomine Willibrordus.

Scripſit ſecundùm [q] Balæum,

De ſua peregrinatione, Lib. 1.
Eccleſiaſticos Canones, Lib. 1.

Homilias quoque & epiſtolas plures. Mortem obijt ſecundum Gaſparem Bruſchium (qui eum perperàm Hibernum facit) an. Dom. 739. alijs 736. ætatis ſuæ 81. & in monaſterio Epternacenſi quod ipſe fundaverat, ſepultus eſt. Hunc inter Scotos enumerant Dempſterus & Camerarius. Sed malè proculdubio.

[q] Centur. 2. num. 5.

Gildas quartus claruit anno DCCCXX. Is *licet in Cambriâ natus, nihilo ſecius genitorem Hibernienſem Scotum habuit, & in finibus Scotorum Hibernienſium ſtuduit,* ut è Lelando tradit [r] Balæus. Scripſit ſecundum dictum [r] Balæum & ejus ſequaces,

[r] Centur. 2. tit. 2.
[s] Ibid.

Breviarium *Gildæ. Lib. 1.*

A principio mundi uſque ad diluvium.

De mirabilibus Brytanniæ. lib. 1.

Primum miraculum eſt ſtagnum.

De primis habitatoribus, Lib. 1.
De rege Arthuro, Lib. 1.
De ſepulchro ejus incognito, Lib. 1.
De eſſe periculoſo. Lib. 1.
De milite Leonis, Lib. 1.
De milite quadrigæ. Lib. 1.
De Percivallo & Lanciloto. Lib. 1.
De Galguano & alijs. Lib. 1.

Atque adhuc plura. Sic Balæus.

[t] *Vid. R.D. Ja. Arch. Arm. vet. epist. Hibern. recension. pag.* 134.

At opus primum [t] *illud ipsum plane est quod in veracioribus exemplaribus Ninio Britanno adscribitur.* [u] *Habetur* etiam *MS. in Cottonianâ bibliothecâ, liber ejus de computo, 99. capitulis constans,* quem Rabano monacho (posteà Fuldensi abbati) dicavit.

[u] *Ibid.*

[x] *Alphons. Ciacon. vit. Pontif. Rom.*

Iohannes Paparo, Romanus, [x] Presbyter Cardinalis, tit. S. Laurentij in Damaso, legatus ab Eugenio III. in Hiberniam missus, 4. pallia secum detulit, quæ in synodo habitâ mense Martio anno MCLII. quatuor archiepiscopis tradidit, Armachano sc. Dublinien-si, Cassellensi & Tuamensi. De loco synodi variant scriptores, nam aliqui in cœnobio Mellifontis, alij in loco dicto Mell, alij Kenanusiæ sive Kenlisæ, (hodiè *Kells* dictæ,) in Midiâ, habitam volunt. [y] Titulos duorum canonum ibi editorum reperi.

[y] *Anonym. MS.*

I. *Contra Symoniam & usuram.*

II. *De decimis dandis.*

Episcoporum nomina, qui dictæ synodo interfuerunt, [z] è codice MS. inedito, visum est hîc apponere.

[z] *Ibid.*

[*] *Christianus.* [*] *Gelasium.* [*] *Cassellensis.* [*] *Gregorius Dublinensis.* [*] *Deicola.* [*] *Ardfertensis.*

* *Giolla-Christ O Conarchi episcopus Lismorensis, Legatus.* * *Giolla mac-liach Primas Hiberniæ, Domnaldus O Lonargain archiepiscopus* * *Momoniensium. Æda O Hossin archiepiscopus Connaghtensium. i. Tuamensis,* * *Greri episcopus Athacliath. Giolla-na-naemh episcopus Glendalach. Dungallus O Cellaidh episcopus Lechlinensis, Tuistius episcopus Waterfordensis, Domnaldus O Fogartaic episcopus Osserensis, Fimd. mac Tiarcain episcopus Kildarensis,* * *Gillo-an-chondheb O Ardmail episcopus Imelacensis, Giolla-Æda O Maigin episcopus Corcagensis, Macronan episcopus* * *Kierensis, Torgesius episcopus Limericensis, Muirchertachus O Melidar episcopus Cluainmicnois,*

*micnois, Malioſa O Conachtain epiſcopus Airthir Conacht, O Ruadan epiſcopus * Luigni, Macraith O Morain epiſcopus * Conmacne, Ethru O Miadachain epiſcopus Cluanairardenſis, Tuathal O Conachtaig epiſcopus Huambruin. Muiridheach O Cobthaig epiſcopus Ceanla-Eogain, Malpatricius O Banain epiſcopus * Dailaraid, Malioſa mac Inclericuir epiſcopus * Vllagh.* In eadem ſynodo cuilibet archiepiſcopo certus ſuffraganeorum numerus ſubjectus eſt & aſſignatus. Concilio finito, Cardinalis [a] *per Scotiam iter faciens, Romam reverſus eſt.* Scripſit, ſi [b] Dempſtero credamus,

* *Achadenſis.*
* *Ardachadenſis*
* *Connorenſis.*
* *Dunenſis.*
[a] *Jo. Hagulſtaldenſ.*
[b] *Hiſtor. eccleſ. Scot. lib. 15. n. 1034.*

Ad Eccleſias Scoticas, Lib. 1.

Iohannem Paparonem habuiſſe, dùm *in Hibernia* eſſet, *contributionum ſubſidia ab eccleſijs provinciarum. ſc. centeſimam partem cujuſlibet beneficij* notat [c] in regeſto ſuo Ioannes Alanus archiepiſcopus Dublinienſis.

[c] *Fol. 111. a.*

Gilbertus monachus cœnobij Ludenſis, Stephani regis Angliæ juſſu, in Hiberniam, cum Oëno milite Hiberno, venit. *Ibi Monaſterium conſtruere cœperunt, manentes ſimul ibidem, duobus annis cum dimidio. Gilbertus monaſterij illius erat Cellerarius, miles autem forinſecus erat in omnibus procurator & miniſter devotus, interpreſque fideliſſimus.* Gilbertus is deſcripſit Oëni viſionem, in Purgatorio Patricij, ut [d] è Wendovero liquet. *Hujus autem* (inquit) *monachi induſtriâ & diligentiâ, hujus militis experientia redacta eſt in Scripturam.* Vixit anno MCLII. De eo vide plura apud Rogerum Wendoverum, cujus hiſtoriam uſque ad annum 1235. habemus in edito Matthæo Pariſio, cui falſo tribuitur.

[d] *In Steph. rege.*

CAP.

Cap. II.

Scriptores Anglici & Cambrici, qui in Hiberniâ floruerunt, à tempore quo insulæ imperium adeptus est Henricus secundus, usque ad annum Dom. MCCC. Giraldus Barrius Cambrensis. De Iohanne Comino & spissò Dempsteri errore qui Scotum facit. Iohannes Grey. Radulphus Bristoliensis. Iohannes de Derlington. Gulielmus de Hothun.

GIraldus Barrius, vulgò Cambrensis (quem perperàm aliqui Silvestrum Giraldum appellant) in comitatu Penbrochiensi natus, nobili ortus prosapiâ, Patre *Willielmo de Barry*, matre *Angareth, (filiâ Nestæ nobilis filiæ Resi principis Sudwalliæ, sc. filij Theodori)* ut [a] ipse de genere suo loquitur, ab avunculo suo Davide Menevensi episcopo factus est archidiaconus Brechinensis primùm, deinde Menevensis. Anno verò 1185. ab Henrico II. rege Angliæ cum Iohanne filio suo (cui designatus fuit à secretis) in Hiberniam missus est, ubi Iohannes episcopatus Fernensem & Lechlinensem vel eorum aliquem (nam simul vacabant) ei obtulit. Sed hos ille recusavit, animumq; disposuit ad opera sua colligenda de topographiâ Hiberniæ, (si vede mirabilibus Hiberniæ) & de vaticinali expugnationis Hibernicæ historiâ. Hæc, dùm in Hiberniâ esset, inchoavit, sed post reditum in Walliam, absolvit. Anno tandem 1198. defuncto Petro Menevensi episcopo, à capitulo Menevensi electus est successor, quâ de re magna Romæ sequuta est lis, inter eum & Galfridum Priorem Lanthonienſem, Huberti Cantuariensis

[a] *De vita sua, Lib. 1. cap. 2. in bibl. Cottonianâ.*

tuarienſis archiepiſcopi operâ promotum, in quâ, Giraldus noſter tandem ſuccubuit. Scripſit ſecundùm [b] Balæum,

[b] *Centur. 3. num. 59.*

Topographiam Hiberniæ, Lib. 4.
Placuit excellentiæ veſtræ.
De expugnatione ejuſdem, Lib. 3.
Quoniã de inſulæ Hiberniæ ſitu
Topographiam Cambriæ, Lib. 4.
Itinerarium ejuſdem, Lib. 3.
Quoniam ea quæ in Britannia.
Illuſtrationes Merlinorum, Lib. 2.
Quoniã in prioribus libris Merl.
Topographiam Britanniæ primæ, lib. 4.
Diſtinctiones Giraldi, Lib. 1.
Nunc ad ea quæ contra naturæ.
Relationem dormientium, Lib. 1.
Regnabat Decius Imperator.
In opera quædam Senecæ, Lib. 1.
Lucius Annius Seneca.
Mirabilia terræ ſanctæ, Lib. 1.
Speculum eccleſiæ, Lib. 4.
Sicut hominum naturam.
De planctu Lachrimabili, Lib. 1.
Quoniam ad Cantuarienſem.
Pro reddenda talione, Lib. 1.
Eccleſiæ ſpeculũ qui me cupit.
Vitam Hen. 2. Lib. 3.
Acta regis Iohannis, Lib. 1.
Ioannes filius junior Henrici.
Ad Stephanum Cantuar. Lib. 1.
Poſtquam ad Gilfordiam.
De inſtitutione Principis, lib. 3. In apibus rex unus eſt.

Super Merlino Caledonio, Lib. 1.
Super Ambroſio Merlino, Lib. 1.
Circa prophetiæ præſentis expoſ.
Gemmam eccleſiaſticam, Lib. 1.
Agmen in Caſtris æterni Regis.
Epithalamion, Lib. 1.
Ut lux poſt tenebras.
Invectiones triennales, Lib. 1.
De miſeriâ conditionis humanæ, Lib. 1.
Unde ſuperbit homo,
Epigrammata varia, Lib. 1.
In natale ſacro.
Carmina metrica, Lib. 1.
Florida fructifera Simonis.
De Ciſtercienſium nequitijs, Lib. 1.
Epiſtolas & Dictamina, Lib. 1.
Remiſimus vobis librum.
Vaticinalem hiſtoriam, Lib. 1.
Hactenus hiſtoria pleno.
Geſta laborioſa Giraldi. Lib. 3.
In tres particulas libellus.
De Avibus & earum naturis. Lib. 1.
Rhetoricas orationes, Lib. 1.
De illaudabilibus Cambrorum, Lib. 3.
De prohemijs ſuorum operum, Lib. 1.
Deſcriptiones magnorum virorum, Lib. 1.
Simbolum electorum ad Mapes. Lib. 1.
Coſmographiam Mundi. Lib. 1.
Chronographiam ejuſdem. Lib. 1.
Speculum Commonitorium, Lib. 1.
Speculum Conſolatorium, Lib. 1.
Remordentes epiſtolas. Lib. 1.

Querulum

Querulum carmen, Lib. 1.
Certamina Galfridi Eboracenſis, Lib. 1.
De honeſtate clericali, Lib. 1.
Cambricæ Mappæ expoſitionem, Lib. 1.
De quærente & ſolvente, Lib. 1.
Dialogos Proſaicos, Lib. 1.
Vitam Ethelberti martyris, Lib. 1.
Vitam Davidis Menevenſis, Lib. 1.
Vitam Caradoci presbyteri, Lib. 1.
Vitam Remigij Lincolnienſis, Lib. 1.
Vitam Hugonis Carthuſiani, Lib. 1.
De Monachis & clericis, Lib. 1.
De floſculis Philoſophicis, Lib. 1.
Ad invectiones Huberti, Lib. 1.
Ad æmulorum objecta, Lib. 1.
Itinerarium Baldwini, Lib. 1.
De fidei fructu ac defectu, Lib. 1.
De Mahumeto & ejus nequitijs, Lib. 1.
Pro Guidone Warwicenſi, Lib. 1.
Prærogativarum computum, Lib. 1.
De mundi mirabilibus, Lib. 1. *Atque alia plura.* Sic ille. Scripſit porrò tractatum *Retractationum ſuarum*, qui extat MS. ad finem deſcriptionis *illaudabilium Cambriæ* in Bibliothecâ Cottonianâ.

Item *de vita ſua, lib.* 2. quorum ſecundus imperfectus eſt.

Et *Dialogum de ſtatu Menevenſis eccleſiæ.* Sed fortaſſè idem eſt cum libro quem Balæus *Geſta laborioſa Giraldi* appellat, nam in Dialogo eo, hiſtoriam litis inter eum & Galfridum Priorem Lanthonienſem, de epiſcopatu Menevenſi Romæ coram Innocentio III. (ut paulò antè notavimus) fuſè perſequitur.

Obſervationes in opera quædam *Giraldi Cambrenſis*, & in alia falſò illi adſcripta.

Topographia Hiberniæ continet *libros* ſive *diſtinctiones 3.* non autem 4. ut Balæus habet, ſicut & Hiſtoria *expugnationis Hibernicæ* vaticinalis non 3. ſed 2.[c] Ipſe enim Giraldus dicit ſe *Hibernicam Topographiam cum abditis ſuis & naturæ ſecretis, in tribus diſtinctionibus, triennij labore digeſsiſſe, & vaticinalem expugnationis Hibernicæ ſubſequenter Hiſtoriam, duabus diſtinctionibus, biennali lucubratione compleviſſe.* Scripſit quidem [d] Prologum in librum 3. vaticinalis hiſtoriæ, ſed librum ipſum ut videtur nunquam perfecit. Balæus porrò *vaticinalem hiſtoriam* diverſam facit ab eâ quam de expugnatione Hiberniæ ſcripſit Giraldus. Sed perperàm, ut ex initio jam dicti Prologi liquet, ubi *hiſtoriam* eam *vaticinale nomen ſortiri* aſſerit, quod ei *Merlini vaticinia tam Caledonij quàm Ambroſij, locis competentibus prout res exigebat, inſeruerit.* Atque hinc etiam (ut ſuſpicor) Balæus effinxit Giraldum ſcripſiſſe (præter libros de expugnatione Hiberniæ) *ſuper Merlino Caledonio, lib.* 1. & *Super Ambroſio Merlino, lib.* 1. Aſſerit præterea Giraldum ſcripſiſſe *Illuſtrationes Merlinorum libris 2.* quorum initium eſt, *Quoniam in prioribus libris Merlini*, Sed malè: Nam verba ea deſumpta ſunt ex initio Prologi in librum 3. vaticinalis Hiſtoriæ expugnationis Hibernicæ.

Diſtinctionum liber, cujus initium eſt, *Nunc ad ea quæ contra naturæ curſum*, idem planè eſt cum libro ſecundo Topographiæ Hiberniæ.

Topographia ſive Deſcriptio Cambriæ conſtat libris

[c] *Prior præfat. in deſcript. Camb.*

[d] *Conſul. Illuſtr. Archiep. Armach. & epiſtol. Hibernicar. ſyllog.*

bris 2. Priorem, qui *laudabilium* inſcribitur, edidit David Pouelus cùm annotationibus, poſteriore *illaudabilium* prætermiſſo. Hinc verò fingit Balæus ſcripſiſſe eum *de illaudabilibus Cambrorum libros 3.*

Itinerarium Cambriæ & *Itinerarium Baldwini* unum idemque opus eſt, licet Balæus tanquam diverſa enumeraverit, & non continet 3. vel 4. libros, (ut ille ait) ſed duos. Extat impreſſum (cum annotationibus dicti Davidis Poueli) ita inſcriptum, *Itinerarium Cambriæ, ſeu laborioſæ Baldvini Cantuarienſis Archiepiſcopi per Walliam Legationis, accurata deſcriptio.*

Deſcriptiones magnorum virorum inveniuntur in hiſtoriâ ſuâ expugnationis Hiberniæ, videlicet Richardi *Strong-bow* comitis Penbrochiæ, Roberti Stephanidis, Mauritij Giraldidis & aliorum Heroum. Sed diſtinctum aliquem de deſcriptionibus eorum librum, Giraldum reliquiſſe, primus, quod ſciam, tradidit Balæus.

Ioſias Simlerus in appendice ad Geſneri Bibliothecam Giraldo malè tribuit *De Viſi-Saxonum regibus, lib. 1. & Anglorum Chronicon, lib. 1.* Errorem hauſit è primâ Balæi de ſcriptoribus Britanniæ editione: ſed libri illi in ſecundâ Balæi editione nō inveniuntur.

Ejus porrò non ſunt libri *de Monâ inſulâ, & de vita S. Patricij* qui MSS. extant Cantabrigiæ in publica Bibliotheca, quamvis aliqui ex Eclogâ Oxonio-Cantabrigienſi D. Thomæ Iameſij malè anſam arripiant eos Giraldo adſcribendi. Nam is eos tantùm recenſet, ut in uno eodemque volumine cum operibus quibuſdam Giraldi Cambrenſis compactos.

Gemma Eccleſiaſtica ei à Balæo attributa, incipiens [*Agmen in caſtris æterni regis*] fortaſſè eadem eſt

cum *Gemmâ animæ*, quam ſine nomine authoris edidit Iohannes Cochlæus Moguntiæ MDXLIX. Certè idem eſt utriuſque libri initium.

Iohannes Cominus al. Cuminus *Vir Anglicus natione*, (inquit qui ei coævus fuit, & hominem novit [e] Gir. Cambrenſis) *& in Angliâ apud Eveſham à clero Dublinenſi, regiâ procurante induſtriâ, conſonè ſatis & concorditer electus* in Archiepiſcopum Dublinienſem, ſacerdos poſteà factus eſt Vellitræ [f] *3. Idus Martij 1182.* 12. *Calend. Aprilis Dominicâ in ramis Palmarum* à Lucio III. papâ ibidem archiepiſcopus conſecratus. Concilium is Provinciale celebravit, cujus Canones Bullâ Urbani III. approbati, extant inter archiva eccleſiæ cathedralis S. Trinitatis Dublinij. Huic (ut videtur) concilio, Dublinij in dictâ eccleſiâ coacto, *in medio quadrageſimæ. ſc. ad Lætare Hieruſalem* 1185. vel 1186. interfuit Gir. Cambrenſis. E cujus vitâ intelligimus Iohannem Cominum ibi *primo die Sermonem feciſſe de Sacramentis eccleſiæ, & ſecundo die Abbatem de Baltinglas Albinum, qui & poſteà Fernenſis epiſcopus erat, De continentiâ Clericorum, ſermonem texentem prolixiorem, totam in clerum qui de Walliâ & Angliâ in Hiberniam advenerant denique culpam refudiſſe, docentem munditiam cleri Hiberniæ quanta fuerat, donec ex contagio advenarum &c. corruptelam contraxerunt.* Hinc verò acris ſequuta eſt contentio inter Giraldum & Albinum illum, quam Giraldus ipſe in vitâ ſuâ fuſè perſequitur. Deceſſit 25. Octobris 1212. & Dublinij in eccleſiâ S. Trinitatis tumulatus eſt. De eo ſic [g] Dempſterus. *Iohannes Cuminus ex nobiliſſimo Comitum Buchaniæ ſtemmate ortus, Banfiæ natus, falſiſſimè inter Anglos reponitur, cum ipſe viderim quædam ipſius nuper*

[e] *Lib. 2. expugn. Hiber. cap. 23.*

[f] *Roger. Hoveden.*

[g] *Hiſtor. eccleſ. Scot. lib. 3. num. 348.*

nuper Pariſijs ſcripta, quibus ſuorum Populariũ cauſam Pontifici Lucio commendavit in bibliothecâ Pauli Petavij, Senatoris Pariſienſis. Et Iohannes Fordanus, lib. 4. eum regio ſanguine aſſeveret ortum, magnâ ea propter illo in regno authoritate viguiſſe. Archiepiſcopus primùm Dublinenſis in Hibernia, ubi eccleſiam D. Patricio conſtruxit, ut habent annales Hibernici, poſteà à Lucio P. Velitris Cardinalis creatus, ut Gir. Cambrenſis authoritate liquet. Ciaconius, Onuphrius & alij nullam fecere mentionem ejus. Scripſit indubiè multa, ego vidi in laudatâ bibliothecâ

Epiſtolas ad Pontifices, Lib. 1.
Epiſtolas ad varios, Lib. 1.

Et poſt pauca. *Obijt an. MCCXII. ſepultus Dublinij. Putant Dublani* (in Scotia, ſc.) *non Dublini ſediſſe.* Hæc ille, qui in ſuum Scriptorum Scotiæ catalogum, pro libidine ſuâ Anglos, Wallos & Hibernos paſſim retulit, & ad aſſertiones ſuas firmandas, finxit ſæpiſſimè authores, opera, locos & tempora.

Iohannes Greius epiſcopus Norwicenſis, vir prudens & doctus, à Iohanne rege, Hiberniæ conſtitutus Iuſticiarius,[h] *profectus eſt in Hiberniam cum exercitu* anno MCCVIII. & Rogerus de Wendover ad an. MCCX. *Præfecerat autem* (Rex) *ibidem Iohannem de Grey epiſcopum Norwicenſem, Iuſticiarium, qui denarium terræ illius, ad pondus numiſmatis Angliæ, fecerat fabricari: & tam obolum quàm quadrantem rotundum fieri præcepit.* Anno autem 1213. (accepto[i] regis mandato) in Angliam reverſus eſt, cum exercitu, adverſus Francorum regem, tunc Angliam invadere nitentem. Ad eundem annum ſic dictus Rogerus. *Venit præterea de Hibernia, Iohannes epiſcopus Norwicenſis, cum militibus quingentis & equitibus multis, ad regem, & ab ipſo gratanter ſuſceptus eſt.*[k] Scripſiſſe fertur

[h] *Annal. prioratus de Dunſtaple in bibliotheca Cottoniana.*

[i] *Rot. Clauſ. an. 14. Jo. in arce Londinenſi.*

[k] *Bal. Cent. 3. num. 73. Hiſto-*

Hiſtoriarum opus, Lib. 1.
Epiſtolas ad diverſos, Lib. 1.

Atque nonnulla alia. Hiſtoricum illud opus eum Scalæ Chronicon inſcripſiſſe aſſerit Poſſevinus. Anno deinde 1214. in reditu à Româ, ubi apud Pontificem, regis fuerat Legatus, deceſſit prope Pictaviam, Novemb. 1. unde corpus in Angliam delatum, in eccleſiâ ſuâ Norwicenſi tumulatum eſt.

Radulphus Briſtolius, (ita dictus opinor quod Briſtoliæ in Angliâ natus) primus eccleſiæ S. Patricij Dublinienſis Theſaurarius, in epiſcopum Darenſem conſecratus 1223. deceſſit 1232. eique ſucceſſit Ioannes de Taunton ejuſdem eccleſiæ Patricianæ canonicus. Radulphus ſcripſiſſe dicitur vitam Laurentij Dublinienſis archiepiſcopi.

Iohannes Derlingtonus, Dominicanus, S. Theologiæ Doctor, & Henrico III. tum nuper regi Angliæ à Confeſſionibus, conſecratus eſt archiepiſcopus Dublinienſis, in cœnobio Walthamenſi in Anglia, ſecundùm[1] annales cœnobij Waverleienſis *6. Id. Septemb.* ſecundùm Tho. Wikeum. *Die dominico proximo poſt feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli*, 1279. à Iohanne archiepiſcopo Cantuarienſi, aſſiſtentibus Nicholao Wintonienſi, Roberto Bathonienſi & Wellenſi, & Guilielmo Norwicenſi epiſcopis. Vir fuit ob eruditionem & prudentiam, multæ authoritatis. Sub Iohanne 21. Nicholao 3. & Martino 4. Papis, Quæſtor factus eſt, ſive Petri denariorum in Angliâ & Hiberniâ collector: ſcripſit ſecundùm [m] Balæum

Concordantias magnas Anglicanas, Lib. 1.
Sermones ad utrumque ſtatum, Lib. 1.
Diſceptationes Scholaſticas, Lib. 1.

[1] *MSS. in biblioth. Cottonianâ. Vid. porrò Chronicon Jo. de Oxmedes ibid.*

[m] *Scriptor. Britan. Centur. 4. num. 56.*

Atque

Atque alia quædam. Deceſſit Londini 4. Calend. Aprilis 1284. [n] Conſecrationis anno 5. morte repentinâ ſubtractus, & in cœnobio Prædicatorum ibidem ſepultus eſt. Ad quem annum ita annales MSS. *Prioratus de Dunſtaple* in bibliothecâ Cottonianâ. *An. 1284. Obijt D. Iohannes Derlington archiepiſcopus Dublinienſis, qui totius pecuniæ in ſubſidium terræ ſanctæ conceſſæ in concilio Lugdunenſi collector fuerat deputatus. Et dicitur quod ſubitò obijt, & quaſi inteſtatus.*

[n] *Chron. Thomæ Wikes Canonici Oſneienſis.*

Gulielmus de Hothun alijs de Odone & Othone, Dominicanus itidem, & ejuſdem ordinis in Angliâ Provincialis à [o] Bonifacio VIII. Papâ, apud quem eo tempore Edw. I. legatus fuit, archiepiſcopus Dublinienſis deſignatus eſt. 16. Iunij 1297. Annoque inſequenti, nempe eo ipſo quo conſecratus eſt anno, Divioni in Burgundiâ obijt, unde corpus in Angliam deportatum, Londini (fortè in cœnobio ſui ordinis) ſepultum eſt. Scripſit ſecundùm [p] Balæum,

[o] *Βzovῦ Annal. Eccleſiaſtici.*

[p] *Scriptor. Britan. lib. 4. num. 74.*

Gloſſas in 4. libros ſententiarum.
Quæſtiones ſuper 1. librum.
De immediatâ Dei viſione, lib. 1.
De unitate formarum, Lib. 1.
Lecturas Scholaſticas.

Addit [q] Caius *Orationem Gallicè de jure Regis ad Scotiam.* [r] Boſtonus Burienſis opera ejus hoc ordine recenſet. *Scripſit* (inquit)

[q] *De antiq. Cantab. pag. 242.*

[r] *MS. in bibl. Rmi Archiep. Armachani.*

Super primum lib. ſummarum.
Item ſuper omnes libros ſummarum lecturas.
De unitate formarum, Lib. 1.
De immediatâ viſione divinæ eſſentiæ.

Hunc diverſum à Gulielmo de Odone archiepiſcopo Dublinienſi, perperàm facit [s] Antonius Poſſevinus in apparatu ſacro.

[s] *Vid. pag. 704. & 709. tom. 1. edit. Colon. an. 1608.*

Cap. III.

Scriptores Anglici, qui in Hibernià floruerunt, ab anno MCCC. ad an. MCCCC. Gualterus Iorſeus. Ioannes de Bloxam. De Roberto Eliphato diſquiſitio. Gulielmus de Paulo. Richardus Ledredus. Robertus Waldbæus. Opinio Pitſei de Thomâ Edwardſtono rejicitur. Iohannes Swafham. Richardus Northalis. Thomas Peverell.

VAcante ſede Armachanâ, per mortem Ioannis Taafi, Gualterus de Iorſe ordinis Prædicatorum (Thomæ Iorſei [a] Cardinalis S. Sabinæ frater) in illius ſedis archiepiſcopum ſacratus eſt, an. MCCCVI. à Nicholao Cardinale Oſtienſi, ut è bullâ Clementis 5. datâ 8. Idus Auguſti Pontificatus ſui 2. inter archiva turris Londinenſis aſſervatâ liquet. Scripſit is

[a] *Alfon. Ciacon. de vit. Pontif. & Cardinal.*

Promptuarium Theologiæ, libris 3.
De peccatis in genere, Lib. 1
Quæſtiones varias, Lib. 1. & alia.

Archiepiſcopatum abdicavit 16. Novemb. 1311. eique præfectus eſt Rolandus Iorſeus frater ejus germanus & ejuſdem ordinis. Gualterum hunc (ni fallor) *Edwardi Regis Angliæ fuiſſe confeſſorem, & Genuæ*, in Italiâ, *ſepultum* aſſerit [b] Raphael Volaterranus.

[b] *Commentar. urban. lib. 21.*

Iohannes de Bloxam S. Theologiæ baccalaureus Oxonienſis, & Ceſtrienſis cœnobij Carmelita, dum ſui ordinis in Hibernià Vicarius eſſet generalis, ſub anno nempè 1325. capitulum provinciale convocavit, in monaſterio de Atrio Dei, in agro Louthiano, ubi pro reſtituendâ diſciplinâ, multa dicitur inſtituiſſe. [c] Scripſit ſecundùm Balæum,

[c] *Bal. Cent. 5. num. 22.*

In

In 4. libros Magiſtri Sententiarum, Lib. 4.
In Apocalypſim, Lib. 1.
Epiſtolas 186. ad diverſos.
Capituli Atherdæenſis ſtatuta.
Sermonum, Librum 1.
Quæſtionum diſputatarum, Lib. 1.

Et alia nonnulla. In Angliam reverſus, factus eſt ſui ordinis Provincialis XIII. anno Domini 1333. & Oxonij poſteà (ut fertur) è vitâ migravit.

Robertus Eliphatus Anglus ordinis Minorum vel (ſi Ioſepho Pamphilo credendum,) ordinis eremitarum S. Auguſtini, Oxoniæ, ad tempus educatus, inde verò in Galliam profectus, Pariſijs S. Theologiæ doctor creatus eſt. Claruit anno MCCCXXXIIII. Hunc [d] aliqui archiepiſcopum factum Armachanum aſſerunt. Sed hallucinatos credo: Nam de eo, nec in hiſtoricis noſtris, nec in archivis eccleſię Armachanæ, nec in Archivis Regijs (quæ hac de re ſtudiosè evolvi) fit ulla mentio. Immò ex ijs ſatis liquet, ſedem Armachanam toto Eliphati tempore (vacationis temporibus exceptis) ab alijs occupatam & gubernatam. Ideoque opera ejus (ut quæ ad hunc meum catalogum non pertinent) conſultò omiſi.

[d] *Vid. Jo. Pitſeum de Angliæ Scriptoribus. num. 526.*

Gulielmus de Paulo (al. Powell) Carmelita & S. Theologiæ Doctor, è comitatu Cantiano oriundus, Oxoniæ primùm, deinde Pariſijs ſtuduit: Poſteà in generalibus Carmelitarum comitijs, Genuæ habitis, ſui ordinis in Angliâ & Scotiâ factus eſt Provincialis, circa an. 1309. A Papâ tandem Ioanne XXII. Midenſis proviſus epiſcopus, [e] ab Edwardo III. temporalibus reſtitutus eſt 24. Iulij MCCCXXVII. Sedit annos circiter XXII. Balæus & (ex eo,) Pitſeus

[e] *Rot. Pat. an. 1. Edw. 3. in arce Londinenſi.*

hunc perperàm Gulielmum Pagham vocant, & à Clemente V. episcopum Midensem factum tradunt.

[f] *Vid. Bal. Centur. 4. Scriptor. Britan. num. 52.*

[f] Scripsisse fertur,

In 4. libros Magistri sententiarum, Lib. 1.

Placita Theologica, Lib. 1.

De perfectione intellectus, Lib. 1.

Intellectus humanus suum habet prin.

De notitiâ actuali, Lib. 1.

In intellectu creato quædam vis est.

De veritate formali, Lib. 1.

Utrum veritas sit forma substantialis.

De ente rationis, Lib. 1.

Rectitudo motus est ut Philosophus.

Quæstiones ordinarias, Lib. 1.

Concionum Lib. 1.

Et alia. Mortem obijt MCCCXLIX. circa 26. Iulij, eique successit Gulielmus à S. Leodegario Archidiaconus Midensis.

Richardus Ledredus, Minorita Londinensis, Ioannis 22. mandato, Avenione consecratus est Ossoriensis episcopus. Scripsit, præter *epistolas* ad Pontifices Iohannem 22. Benedictum 12. & Clementem 6. *Hymnos* quosdam, in Natali Domini & alijs festis, in ecclesiâ suâ decantandos. De eo vide plura in libro meo de Præsulibus Lageniæ. Consul. item D. Waddingi annal. Minorum tom. 3. & 4. Obijt anno 1360. & in ecclesiâ suâ, prope summum altare, ad latus euangelij tumulatus est.

Robertus Waldbæus, ordinis eremitarum S. Augustini è cœnobio Tickellensi, in agro Eboracensi, Edwardum principem bellicosissimum, (tum Angliæ delicias) in partes transmarinas comitatus, Tholosæ hæsit,

hæſit, ubi Philoſophiæ primùm, tam naturalis quam moralis, deinde Theologiæ ſtudio naviter incubuit, *Eoque excellentiæ* (inquit Balæus) *demùm devenit, ut literatorum primus haberetur, linguarum peritia atque eloquentiâ præſtans. Hinc Theologiæ profeſſor Tholoſanis fuit, & tam inſignis prædicator, ut ampliſſimæ fortunæ illi obvenerint.* Nam ad epiſcopatum Adurenſem in Vaſconia (non Cadurcenſem in Aquitaniâ ut perperàm tradiderunt [g] Ant. Poſſevinus & [h] Thomas Gratianus) fuit provectus, Inde [i] Dublinium primùm translatus 1391. deinde Ciceſtriam in Angliâ 1395. demùm ad archiepiſcopatum Eboracenſem, ſub exitum anni 1396. promotus eſt. ubi exiguo etiam præfuit tempore, morte ſublatus Maij 29. (aliqui habent 29. Ianuarij) anno Chriſti 1397. & Weſtmonaſterij, in medio fermè capellæ S. Edmundi, vel ſecundùm [k] Iohannem Stubbeſium, in capella *S. Thomæ martyris*, ſub marmoreo tumulo ſepultus eſt, cum hujuſmodi epitaphio,

[g] *In appar. ſacro.*
[h] *In Anaſtaſ. Auguſtinian.*
[i] *Rot. Pat. an. 15. Ri. 2. par. 1. in arce Londin.*
[k] *Catal. Archiep. Ebor. in bibliothec. Cotton.*

Hic fuit expertus, in quovis jure Robertus,
De Walby dictus, nunc eſt ſub marmore ſtrictus,
Sacræ Scripturæ Doctor fuit, & genituræ
Ingenuus medicus, & plebis ſemper amicus,
Conſultor Regis, optabat proſpera legis.
Eccleſiæ choris fuit unus bis quoque honoris
Præſul Adurenſis pòſt Archos Dublinienſis
Hinc Ciceſtrenſis tandem Primas Eborenſis,
Quarto Calend. Iunij migravit curſibus anni,
Septem, Milleni, ter C. nonies quoque deni,
Vos precor orate, ut ſint ſibi dona beatæ
Cum ſanctis vitæ, requieſcat & hic ſine lite.

Scripſit ſecundùm [l] Balæum,

[l] *Centur. 6. num. 88.*

Lecturam Sententiarum, Lib. 4.
Quæstiones ordinarias, Lib. 1.
Quodlibeta varia, Lib. 1.
Contra Wicleviſtas, Lib. 1.
Sermones per annum, Lib. 1.

Et alia plura. De eo ſic cecinit ſuprà citatus Gratianus.

Cùm tua Pierios laſſent encomia currus,
Diſcipulum fieri me ſine. Pythagoræ.

Thomas Edwardſtonus ordinis Eremitarum S. Auguſtini è cœnobio Clarenſi in Suffolcia, S. Theologiæ Doctor Oxonienſis, Leonelli Ducis Clarentiæ (cui fuit à Confeſſionibus) operâ, ad Archiepiſcopatum quendam promotus dicitur. Archiepiſcopatum eum [m] *in Hiberniâ fuiſſe putat* Io. Pitſæus, ſed perperàm, ut ex Archivis regijs, & hiſtorijs Hibernicis certò conſtat: ideoque opera ejus in hoc catalogo prætermiſi. Mortem obijt 20. Maij 1396. & in cœnobio Clarenſi ſepultus eſt.

[m] *De illuſtr. Angliæ ſcriptoribus. an.* 1396.

Iohannes Swafhamus (fortè Swafhamæ natus in agro Norwicenſi, cœnobij Linnenſis Carmelita, & S. Theologiæ Doctor Cantabrigienſis, epiſcopus Clonenſis ſub archiepiſcopo Caſſelienſi (à papâ proviſus) conſecratus eſt anno 1363. Inde Bangoram in Walliâ, Gregorij XI. bulla, tranſlatus eſt 6. nonas Iulij 1376. Scripſit, teſte [n] Balæo,

[n] *Centur. 7. tit. 11.*

Contra Wicleviſtas, Lib. 1.
Concionum ſuarum lib. 1.

Interfuit ſynodo Stanfordiæ coactæ, an. 1392. quâ, Iohannis Wiclevi libri damnati ſunt. E vivis exceſſit circa annum 1399. Hunc perperàm [o] Nicholaus Harpsfeldius epiſcopum Menevenſem appellat in hiſtoria ſua Wiclefiana. Ri-

[o] *Cap. 15.*

Richardus Northalis, Carmelita Londinenſis, in epiſcopum Oſſorienſem ſacratus anno 1387. annis deinde 1391.& 1394. à Richardo II. ad Bonifacium IX. miſſus eſt legatus. Fuit etiam ad tempus Hiberniæ Cancellarius. Atqui poſt annos circiter 9. in ſede Oſſorienſi exactos, Dublinium tranſlatus eſt, ubi cùm exiguo tempore præfuiſſet, mortem obijt Iulij 20. 1397. Scripſiſſe dicitur

Sermonum Lib. 1.

Ad eccleſiarum parochos, Lib. 1.

Et alia. Vir fuit ob conciones, eruditionem, cæteraſq; animi virtutes ubique celebris.

Thomas Peverellus, aliàs Pierevillus, Carmelita itidem, & S. Theologiæ Doctor Oxonienſis, anno 1397. Richardi II. Regis operâ, epiſcopus factus eſt Oſſorienſis. Vir ſuo ſeculo clarus, in agro Suffolcienſi [p] *ex honeſtâ familiâ natus.* Præfuit illi ſedi, tempore perquàm exiguo, Nam menſe Maio 1398. ad ſedem Landavenſem in Walliâ, tranſlatus eſt, atque inde ad Wigornienſem, anno 1407. ubi diem clauſit extremum, ſecundùm D. Godwinum, Martij 1. 1417. ſecundùm Balæum (qui initium anni deducit à Calendis Ianuarij) 1418. & Wigorniæ in eccleſia ſua ſepultus eſt. Edidit ſecundùm [q] Balæum & ex eo Poſſevinum.

[p] *Bal. Centur. Scriptorum 7. num. 49.*

[q] *Ibid.*

Quæſtiones Theologiæ. Lib. 1.

Utrum Beatus Ioannes Baptiſta.

Sermones ſolennes. Lib. 1.

Ordinationes ſuæ eccleſiæ. Lib. 1.

Et alia. De eo vide (ſi placet) plura apud Balæum & Godwinum.

CAP.

Cap. IIII.

Referuntur Scriptores Anglici qui in Hiberniâ claruerunt ſeculo XV. Thomas Colbius. Iohannes Coltonus. Thomas Cranlæus. Iohannes Baterlæus. Henricus Marleburgenſis. Richardus Talbot. Michael Tregurius. Iohannes Tiptoſt. Richardus Edgecomb eq. Tho. Scropus.

THomam Colbium Carmelitam Norwicenſem S. Theologiæ Doctorem, & Concionatorem facundum, à Richardo II. Liſmorenſem & Waterfordenſem epiſcopum anno Dom. 1399. deſignatum, tradit è Lelando [a] Balæus. Videtur tamen vel præſulatu excidiſſe, vel exiguo admodùm tempore ſediſſe. Nam Thomam Snellum à Papâ proviſum, temporalibus illius ſedis ab Henrico IIII. reſtitutum [b] 16. Novemb. 1399. ex archivis regijs liquet. Scripſit Colbius ſecundùm [c] Balæum, (ut de tabulis quas recenſet taceam)

[a] *Scriptor. Brit. Centur. 7. tit. 38.*

[b] *Rot. patent. an. 1. Hen. 4. par. 1. in arce Londinenſi.*

[c] *Cent. 7. n. 38.*

Præceptorium divinæ legis, Lib. 1.
Reverendi mei, Mandata divina.
Collectanea ſacrorum dogmatum, Lib. 1.
Auguſtinus quinto de Civitate.
In orationem Dominicam, Lib. 1.
Septies in die laudem dixi tibi.
In Pſalmum Miſerere, Lib. 1.
Chariſſimi, Legitur 2. lib. Regum.
Conciones Sacras, Lib. 1.
In domo tua oportet me manere.
De eccleſiæ puritate. Lib. 1.
Dux fuiſti in miſericordiâ.

Lectio-

Lectiones Scripturæ, Lib. 1.
In Geneſim annotationes, Lib. 1.
Et hæc omnia complevit anno nati Servatoris noſtri MCCCCVI. ſub Henrico IIII. Sed de ejus obitu ac ſepulturâ, nihil certi pronunciare poſſum. Sic Balæus. Dicitur etiam ſcripſiſſe

Collectanea quædam Hiſtorica.

Iohannes Coltonus, Anglus, Decretorum doctor, eccleſiæ S. Patricij Dublinienſis Decanus, quandoq; Hiberniæ Cancellarius, vir doctus & gravis, archiepiſcopus Armachanus ſacratus eſt anno 1382. Miſſus is fuit ad curiam Romanam circa negotia Richardi II. regis, unâ cum Ioanne Whiteheade Rectore de Stabanan, & Richardo Moore vicario de Termon-Feichan, ut ex archivis Regijs liquet. Incidit in tempora diuturni illius ſchiſmatis Urbani VI. & Clementis VII. Quare ſcripſit

De cauſis ſchiſmatis. Lib. 1.
De remedijs ejuſdem, Lib. 1.

Supereſt etiam adhuc conſtitutionum Provincialium, ab eo promulgatarum pars aliqua. Ex hâc vitâ migravit 5. Cal. Maij MCCCCIIII. & Pontanæ in eccleſiâ S. Petri ſepultus eſt, cùm (ut videtur) paulò ante obitum Præſulatum abdicâſſet.

Thomas Cranlæus, Anglus, S. Theologiæ Doctor, academiæ Oxonienſis quandoque Cancellarius, archiepiſcopus Dublinienſis creatus, Dublinium primùm appulit 7. Octobris 1398. unà cum Thoma Holland tum duce Surriæ & Hiberniæ locumtenente. Ab Hen. IIII. poſteà Hiberniæ conſtitutus eſt Cancellarius, & ab Hen. V. ejuſdem regni Iuſticiarius, paulóque ante obitum denuò Cancellarius. Dum Iu-

sticiarius esset epistolam ad regem, terso carmine perscripsit, [d] quam Io. Lelandus *non sine voluptate quadam legisse memoriáque servâsse* dicitur. In Angliam trajecit MCCCCXVII. in exitu Aprilis, & 25. insequentis Maij (honorum & dierum plenus) Faringdonæ è vivis excessit. At corpus ejus Oxoniam delatum, in novo collegio ibidem sepulturæ traditum est. Dublinij diem obijsse & sepultum, perperàm asserunt Balæus & ejus sectatores.

[d] *Bal. Cent. 13. num. 96.*

Iohannes Baterley Dominicanus, Archiepiscopus Tuamensis claruit (ut opinor) anno 1430. Hunc [e] Balæus inter scriptores Britanniæ recenset, sed opera perijsse innuit. Athenriæ in cœnobio sui ordinis ab aquilonari parte summi altaris (ubi statuam Præsulis Pallio ornati, monumento parieti indito, insculptam vidi) tumulatum conjicio.

[e] *Centur. 13. num. 93.*

Henricus Marleburgensis, ita dictus (opinor) quod Marleburgæ in Wiltoniâ natus, vicarius de Balliscadan in dioceſi Dublinienſi ſcripſit Latinè

Annalium libros 7.

& pervenit usque ad annum MCCCCXXI. quo ipse claruit. Horum annalium pars aliqua à Camdeno edita extat (in Britanniâ suâ,) anno MDCVII. sed pleniùs Anglicè excusi sunt, licet non integrè, Dublinij anno MDCXXXIII. ad finem D. Hammeri chronici. Operis inscriptio hæc est. *Cronica excerpta de medullâ diversorum Cronicorum, præcipuè Ranulphi Monachi Cestrensis. Scripta per Henricum de Marleburghe vicarium de Balischadan, unà cum quibusdam capitulis, de Cronicis Hiberniæ: Incepta anno Domini 1406. Regis Henrici quarti post conquestum septimo.* Ejus æqualis fuit Iohannes Gesus episcopus Waterfordiensis & Lismo-

Liſmorenſis, quem [f] Ioh. Pitſeus inter ſcriptores Angliæ numerat. Sed quid ſcripſerit nuſquam reperi.

[f] *In Append. Angliæ ſcriptor. centur. 3. num. 5*

Richardus Talbotus, nobiliſſimâ ortus proſapiâ, archiepiſcopus Dublinienſis conſecratus eſt anno MCCCCXVII. Præfuit annos fermè XXXII. ac interim vacante ſede Armachanâ, per mortem Iohannis Prene, à Decano & capitulo Armachano, in illius ſedis archiepiſcopum electus eſt. Sed (eo fortè recuſante) Iohannes Mey archiepiſcopatum illum obtinuit. Obijt Talbotus 15. Auguſti 1449. & Dublinij in eccleſia cathedrali S. Patricij ſub marmore conditus eſt, imagine ejus æri inciſa ornato, ubi Epitaphium hujuſmodi inſcriptum legimus.

Talbot Richardus latet hîc ſub marmore preſſus,
Archi fuit Præſul hujus ſedis reverendæ,
Parvos Canonicos qui fundavitque Choriſtas.
Anno Milleno C. quater, quater X. quoque nono,
Quindeno Auguſti menſis mundo valedixit:
Omnipotens Dominus cui propicietur in ævum.

Ex ijs quæ ſcripſit, nunc ſolùm extat (quod ſciam) liber adverſus Iacobum comitem Ormoniæ, quo oſtendit *abuſus reginiinis ejus, dum Hiberniæ eſſet locum tenens.* De eodem etiam argumento, ſcripſit (ejus æqualis) Egidius Thornton Hiberniæ Quæſtor.

Michael Tregurius, patriâ Cornubienſis, & ex academia Oxonienſi S. Theologiæ Doctor, vir ob doctrinam & prudentiam tam celebris, ut ab Henrico V. rege Angliæ, Cadomum in Normanniâ accerſitus fuerit anno MCCCCXVIII. ad regimen ſuſcipiendum collegij ab eo ibidem tum primùm inſtituti. Ibi magnâ cum laude munus ei commiſſum, cùm prælegendo tùm ſcribendo longo tempore adminiſtrâſſe fertur.

fertur. Sed defuncto tandem Talboto, ab Hen. VI. rege, cui fuit à ſacris ad archiepiſcopatum Dublinienſem provectus eſt. Præfuit annos 22. & Tawlaghtæ deceſſit, Decemb. 21. MCCCCLXXI. unde corpus Dublinium delatum in eccleſiâ S. Patricij prope altare S. Stephani tumulatum eſt. Ubi monumentum videmus ſpecioſum, ſtatuâ ejus affabre ornatum, hiſque verſiculis inſculptum.

Præſul Metropolis Michael hîc Dublinienſis,
Marmore tumbatus. Pro me Chriſtum flagitetis.

[g] *Bal. Cent. 8. num. 14.* Et ad caput ſtatuæ, *Iſus eſt Salvator meus.* [g] Edidiſſe fertur

Lecturas in 4. libros ſententiarum.
De origine illius ſtudij, Lib. 1.
Ordinarias quæſtiones, Lib. 1. Et alia.

Ioannes Tiptoft, Wigorniæ comes (ab Henrico 6. creatus) bis fuit ſummus Angliæ Quæſtor, & ſemel anno nempè 1467. *Deputatus* Georgij Ducis Clarentiæ Hiberniæ *locum tenentis*, quo tempore Parlamentum Dublinij inchoatum, & Pontanæ finitum coram eo habitum eſt, cujus ſtatuta aſſervantur in Cancellaria Hiberniæ. [h] *Verùm cùm ille Edwardi IIII. partes ſequutus, præpoſtero obſequio, ad Edwardi IIII. principis voluntatem, in ſupplicijs quaſi carnifex ſe accommodâſſet, ipſe capite truncatus, ſub Henrico VI. jam reſtituto, carnificinam ſubijt.* Hæc Camdenus. Natus eſt apud Everton in comitatu Cantabrigienſi, ſed Oxoniæ in collegio Balliolenſi educatus. Peregrinationem Hieroſolymam uſque religionis ergò ſuſcepit, Et poſteà [i] *Muſarum dulcedine captus, in Italiâ triennium commoratus eſt*, Ac dum Romæ hæreret, *ad ejus orationem longè diſertiſſimam, Pium II. Pontificem*

[h] *Camd. Britan. pag. 436.*

[i] *Ludovicus Carbo in oratione funebri à Balæo citatus Cent. 8. n. 46.*

præ

præ gaudio, lachrymas fudiſſe ferunt. Scripſit orationes

Ad Patavienſes. unam.
Ad Pium II. unam.
Ad Cardinales. unam.
Epiſtolarum Lib. 1.

Atque alia plura. In linguam Anglorum vernaculam ornatè etiam tranſtulit orationes elegantes Publij Cornelij & Caij Flaminij, De verâ nobilitate, lib. 2. Tullium de Amicitiâ & de ſenectute, & alios authores. Hæc Balæus. Capite plexus eſt anno 1470. Corpuſque ejus Londini inter Dominicanos ſepultum eſt.

Richardus Edgecomb eques auratus, patria Cornubienſis ab Henrico 7. rege in Hiberniam miſſus eſt anno 1488. ad juramentum fidelitatis recipiendum, à proceribus & honorarijs adminiſtris. De muneris illius ſucceſſu, *libellum* perſcripſit qui MS. extat.

Tho. Scropus al. Bradley Carmelita Norwicenſis ab Eugenio IIII. Dromorenſis in Hiberniâ factus epiſcopus, (ut [k] Balæus ait) circa annum 1445. *Ad decrepitam ætatem uſque vixit, centum fere annorum ſenex, ac mortuus eſt anno ſalutis noſtræ 1491. die 15. Ianuarij, non ſine ſanctitatis opinione & Leyſtofti in Sudovolgiâ ſepultus eſt. Cujus epitaphij hi 2. poſtremi verſus ſunt.*

Venit ad occaſum morbo confectus amaro:
Spiritus alta petit, pondere corpus humum.

Sic Balæus. Videtur tamen diù ante obitum, præſulatum abjeciſſe. Nam exemplar [1] extat petitionis Octaviani de Palatio archiepiſcopi Armachani ad Edwardum 4. circa annum dom. 1481. in gratiam Arthuri Magenis Iuris Canonici Baccalaurei, ut huic ſedi præficeretur, cùm ſedes per annos XX. vacâſſet.

[k] *Cent. 8. n. 54.*

[1] *Regeſt. Octaviani Archiep. Armach.*

Scripsit Scropus secundum [m] Balæum,

De Carmelitarum institutione, Lib. 1.
De eodem ordine ad Eugenium 4. Lib. 1.
Catalogum Sanctorum ejusdem ordinis, Lib. 1.
Compendium historiarum & jurium. Lib. 9.
Privilegiorum Papalium, Lib. 1.
De sectarum introitu ad Angliam. Lib. 1.
De suâ profectione ad Rhodios. Lib. 1.
Sermones de decem præceptis. Lib. 1.

Aliaque nonnulla. In Anglicum sermonem eleganter etiam transtulit 10. libros Philippi Riboti Catalani, de peculiaribus Carmelitarum gestis: quod opus Cyrillo Garlandio sui cœnobij Præsidi dedicavit. Sic Io. Balæus, qui libros eos de Carmelitarum ordine, MSS. in Hibernia se reliquisse [n] asserit cùm in Germaniam profugere coactus fuerit.

[m] *Loco supra citato.*

[n] *Vide Centur. 13. pag. 159. & 160.*

Cap. V.

Scriptores Anglici, qui in Hibernia floruerunt ab anno MD. ad an. MDC. Ioannes Alanus. De Ioanne Birdo, ubi an fuerit episcopus Ossoriensis disquiritur. Iohannes Balæus. Henricus Sydnæus eq. aur. Edmundus Spenserus. Meredithus Hanmerus. Galfridus Fentonus eq. aur. Georgius comes Totnesiæ.

IOannes Alanus al. Allen, Legum Doctor, & Thesaurarius ecclesiæ S. Pauli Londinensis, Archiepiscopus Dublinensis sacratus est Dublinij in ecclesiâ S. Trinitatis [a] *secundâ dominicâ Quadragesimæ* sc. 13. Martij (stilo Anglicano) 1529. Ibi cùm aliquot annos

[a] *Regest. Archiep. Dubl. vocat. Lib. nig.*

annos ſediſſet, turbis Thomæ Fitz Gerald, (primogeniti comitis Kildariæ,) tum rebellis, perterritus, naviculâ conſcenſâ, in Angliam profugere conatus eſt, ſed ſive ventis adverſantibus, ſive nautarum incuriâ, in littus rejectus eſt prope Clantarfam, unde Tartainam progreſſus, ibi aliquandiu delitescere decrevit, ſed poſtero die à Thomâ interceptus, in ejus conſpectu, cerebro diſperſo, nefariè occiſus eſt Iulij 27. vel 28. 1534. ætatis ſuæ 58. Scripſit, ſub tempore receptionis Pallij ſui, *epiſtolam de Pallij ſignificatione activa & paſſiva*, quæ habetur in ſecunda parte Regeſti ſui, fol. 78. b. Scripſit etiam tractatum *De conſuetudinibus ac ſtatutis in tuitorijs cauſis obſervandis*, qui in dicto Regeſto extat, à folio 168. b. uſque ad 171. b. Item alia nonnulla de *rebus* eccleſiæ ſuæ.

De Iohanne Bird, ſic nuper Reverendus epiſcopus Herefordenſis, [b] Franciſcus Godwinus. *Ioannes Bird, Doctor Theologus Cantabrigienſis, & Carmelitarum Provincialis, Oſſorienſis in Hibernia epiſcopus, hûc* (Bangoram ſc.) *primùm tranſlatus Septembris 3. 1539. & Ceſtriam deinde poſt biennium.* At Balæus (epiſcopus ipſe Oſſorienſis) qui Birdo coætaneus fuit, & hominem benè novit, promotiones ejus aliter enumerat: *Illum* (inquit) Henricus 8. *Penricenſem, Bangorenſem, ac tum demùm Ceſtrienſem epiſcopum, regiâ authoritate conſtituit.* Hinc operibus ejus in hoc catalogo, non dedi locum.

[b] *In Catal. epiſcopor. Bangor.*

[c] *Cent. 9. n. 70.*

Iohannes Balæus, patriâ Suffolcienſis, in epiſcopum Oſſorienſem Dublinij ſacratus eſt, unà cum Hugone Goodacro archiepiſcopo Armachano Februarij 2. (ſtilo Anglicano) 1552. Ibi cùm nondùm 6. menſes ſediſſet, Mariâ regnum adeptâ, profugere coactus,

Dublinij

Dublinij aliquandiù delituit, ſed è portu ſolvens, ſub feſtum S. Michaelis 1553. à piratis captus eſt & venditus, lytro tamen ſoluto, Baſiliam in Helvetiâ profectus eſt: unde poſt quinquennium, regnante Elizabethâ, in Angliam reverſus, & Præbendâ in eccleſiâ Cantuarienſi contentus, ſedem ſuam repetere non curavit. Vir doctus fuit, in concionibus aſſiduus, & antiquitatis ſtudioſiſſimus, in ſcriptis verò (ut alibi dixi) effrenatâ uſus eſt libertate. Exceſſit è vitâ Cantuariæ, MDLXIII. menſe Novembri annos natus 68. & in eccleſiâ cathedrali ibidem ſepultus eſt. Opera edidit quamplurima, tàm Latinâ linguâ quàm vernaculâ, quorum Catalogum ipſe in libro ſuo *De Scriptoribus Britanniæ* ſigillatim recenſet.

Henricus Sydnæus eques auratus, ex nobili & antiquâ familiâ Sydnæorum, *de Penſhurſt* in Cantio oriundus, ſub Mariâ reginâ factus eſt Hiberniæ Proquæſtor, Iuſticiarij etiam munus bis ſolus obivit, & ſemel unà cum Hugone Curwino archiepiſcopo Dublinienſi. Ab Elizabethâ poſteà factus eſt Walliæ Præſes, ſemel Iuſticiarius Hiberniæ, terque ejuſdem regni Prorex, ac ordine aureæ periſcelidis ornatus. Scripſit Anglicè,

Piam ad Philippum Sydnæum filium ſuum admonitionem, quæ excuſa extat.

Item librum continentem miſcellanea de rebus Hibernicis, qui MS. ſupereſt.

Statuta porrò Hibernica, uſque ad ſua tempora excudi curavit, & ſic ex umbrâ in ſolem eduxit. Obijt Wigorniæ, 5. Maij MDLXXXVI. unde corpus Penſhurſtum deportatum, ibidem inter anteceſſores ſuos tumulatum eſt.

Edmun-

Edmundus Spenſerus, patriâ Londinenſis & academiæ Cantabrigienſis alumnus, Poëtarum Anglorum ſuæ ætatis princeps, in Hiberniam primùm venit cum Arthuro *Domino Grey Barone de Wilton*, Hiberniæ Prorege, cui fuit à Secretis. Obijt Weſtmonaſterij an 1599. & ibidem in eccleſiâ S. Petri, prope Chaucerum ſepultus eſt. Scripſit Anglicè

Poemata varia,

quæ excuſa in uno volumine extant. Item proſâ, per modum Dialogi, inter Eudoxum & Irenæum,

De Statu Hiberniæ, Lib. 1.

Promiſit etiam in eo libro ſe de antiquitatibus Hiberniæ ſcripturum, ſed an præſtiterit nondum reperi, veriſimile autem eſt morte præventum non præſtitiſſe.

Meredithus Hanmerus, Wallus, S. Theologiæ Doctor, eccleſiæ S. Trinitatis Dublin. Theſaurarius, è Græco in Anglicum ſermonem tranſtulit an. 1584. eccleſiaſticas hiſtorias Euſebij, Socratis, Evagrij & Dorothei Tyrenſis epiſcopi, quib⁹ Chronographiam addidit eccleſiaſticam. Scripſit porrò Ephemeridem Sanctorum Hiberniæ, & Chronicon Hiberniæ. Obijt Dublinij (peſte correptus) anno MDCIIII.

Galfridus Fentonus eques auratus, patriâ Nottinghamienſis, Elizabethæ Reginæ & ſucceſſori ejus Iacobo regi, per annos circiter 27. ab intimis in Hibernia conſilijs & ſecretis, Ex Italico in ſermonem Anglicum tranſtulit *Franciſci Guicciardini hiſtoriam*, quam Elizabethæ Reginæ dicavit anno 1578. Ex epiſtola ejus Dedicatoria, alia ſcripſiſſe liquet, ſed ea nondùm vidi. Deceſſit 19. Octobris anno 1608. & Dublinij in eccleſia D. Patricij ſepultus eſt, ſub eodem tumu-

lo, quo conditus fuerat ſocer ejus Robertus Weſton, L L. Doctor, quandoque Hiberniæ Cancellarius.

Georgius Carew eq. auratus, ab Elizabethâ Reginâ Momoniæ Præſes conſtitutus, à Iacobo Rege ob virtutem ac operam fideliter contra rebelles, in Hiberniâ navatam, creatus eſt primùm Baro Carew *de Clopton*, deinde comes Totneſiæ in Devoniâ, necnon Machinarum præfecti munere in Angliâ honeſtatus. Scripſit Anglicè

Hiſtoriam Hiberniæ ſui temporis,

quam *Hiberniam Pacatam* appellavit, & è Gallico Anglicè reddidit

Hiſtoriam Mauritij Regani.

Mortem obijt Weſtmonaſterij 27°. Martij anno Domini MDCXXIX.

FINIS.

Index Scriptorum, qui in libro primo continentur, omiſſis Anonymis.

* Aſteriſcus præfixus eſt, ubi de Scriptoribus ipſis, aut operibus ijs adſcriptis, vel dubitatio eſt, vel manifeſtus error detegitur.

A.

Damnanus. 33
* *Adamus Godham.* 66
Æd, clericus barboſus dictus. 49
Æneas al. *Engus.* 37
Aidanus. 23
Aileranus. 27
S. Ailbeus. 1
Albinus. 38
Albuinus. 36
* *Andreas.* 42
Arbogaſtus. 26
Auguſtinus Magraidin. 75

B.

Benignus. 3
S. Braccanus. 24
S. Brendanus. 12
* *S. Brigida.* 8

C.

S. Caminus. 24
Carolus Maguirius. 77
S. Carthagus. 20
S. Cataldus. 6
Celſus al. *Celeſtinus.* 53
Cenfæla. 29
S. Ciaranus vid. Kiaranus.
Claudius. 41
Clemens. 41
Collus O Deoran. 75
S. Coemgenus. 19
Cogitoſus. 11
Colmannus. 27

S. Columba. 14
S. Columbanus. 18
S. Comanus. 36
S. Comgallus. 13
Concubranus. 57
Conganus. 56
Cormacus Culinani filius. 46
Cornelius. 59
Cuana. 19
Cuchumne. 36
Cummianus. 27
Cumminus Fota. 27
S. Cuthbertus. 30

D.

Daganus. 17
David O Bugæus. 67
Dicuil. 37
Disibodus. 29
Donaldus O Fihely. 78
* *Donatus.* 42
Dubdalehe. 49
Dubtachus. 2

E.

Edmundus Tannerus. 85
Edwardus Walsh. 83
Engus vid. *Æneas.*
Eugenius. 57
S. Evinus. 16

F.

Feidlemidus. 42
S. Fiacrius. 24
Fiechus. 2
S. Finanus Clonardensis. 10
Finanus. 24
Fridelinus. 6
* *Frigidianus.* 11
Fursæus. 25

G.

Galfridus Hogain. 73
S. Gallus. 19
Gelasius mac Firbissy. 63
Georgius Coglæus. 82
Georgius Dowdallus. 84
Gilbertus Vrgallius. 68
Gille al. Gillebertus. 53
* *Guilielmus abbas.* 62
Guilielmus de Droghe-
da. 72
* *Guilielmus Ockham.* 66
Guilielmus Waterfordien-
sis. 76
* *Guilielmus Wodeford.* 74

H.

Henricus Crump. 73
Hugo. 72

I.

Iacobus Yong. 76
* *Iarlathus.* 11
Iohannes Clinnus. 69
* *Iohannes Duns Scotus.* 63
Iohannes Erigena. 43
Iohannes Hibernicus. 76

Iohan-

Iohannes Kernæus. 86
* *Iohannes à Sacro Boſco.* 59
Iohannes Vſſerius. 85
Ionas. 21

K.

S. Keivinus vid. *Coemgenus.*
S. Kiaranus de Clonmacnois. 10
S. Kiaranus de Belaigduin. 37
S. Kilianus. 31

L.

S. Livinus. 21

M.

Maliſa O-Stuir. 52
Magnus al. Manus O Donnell. 82
Magraithus Magewan. 74
Malachias O Mongair. 54
Malachias. 65
Malachias mac Æda. 67
Maildulphus. 30
* *Manchinus al. Manchenus.* 26
Marianus Laghnanus. 60
Marianus Scotus. 50
Matthæus Henæus. 58
Mauritius Gibellinus. 66
Mauritius Reganus. 56
Mauritius de Portu. 78
S. Molingus. 22
S. Molua. 17
S. Munnu al. Fintanus mac Tulcain. 17
Murrius O-Gorman. 56

N.

Nicholaus Magwirius. 80
Nicholaus Stanihurſtus. 84
Nicholaus Walſh. 85

O.

Oengus mac Tiprait. 35

P.

Panderus. 77
Patricius abbas. 43
Patricius Barret. 75
Patricius Culin. 82
Patricius Finglaſsius. 83
Patricius Raggedus. 76
Pembrigius. 68
Petrus. 59
* *Philippus Flatisburius.* 81
Philippus Higginus. 77
Philippus Norriſius. 77
Probus. 49

R.

Radulphus Kellæus. 72
Richardus Creagh. 85
Richardus filius Radulphi, vulgò dictus Richardus Armachanus. 69

* Richardus Smithus. 84
Richardus Stanihurſtus. 86
Rodericus Caſsidæus. 83
S. Ruadanus. 13

S.

Sedulius. 4
Sedulius Iunior. 35
Segenius. 23
Suibneus. 46

T.

Thadæus Dowlingus. 86
Theobaldus Anguilbertus. 82
* Theodorus. 33
Thomas Browne. 81
Thomas Fich. 81
Thomas Long. 85
Thomas Palmeranus. 60
Thomas Waterfield. 83
Tigernacus. 51
Tirechanus. 23
* Tundalus. 55

V.

S. Virgilius. 37
Vltanus. 22

Index Scriptorum, quos liber ſecundus complexus eſt.

A.

* Agilbertus. 107

E.

Edmundus Spenſerus. 137
Egbertus. 108

G.

Galfridus Fentonus eq. 137
Georgius comes Totneſia. 138
Gilbertus monachus Ludenſis. 111
Gildas Albanius. 104
Gildas Badonicus. 107
Gildas 4. 109
Giraldus Barry. 112
Gualterus Iorſeus. 122
Guilielmus de Hoibun. 121
Guilielmus de Paulo. 123

H.

Henricus Marleburgenſis. 130
Henricus Sydnæus eq. 136

I.

Iohannes Alanus. 134

Iohannes

Iohannes Balæus. 135
Iohannes Baterley. 130
* *Iohannes Bird.* 135
Iohannes Bloxamus. 122
Iohannes Coltonus. 129
Iohannes Cominus. 118
Iohannes Derlingtonius. 120
Iohannes Grey. 119
* *Iohannes Paparo.* 110
Iohannes Swafham. 126
Iohannes Tiptoft. 132

L.

Lumanus. 104

M.

S. Machutus al. Maclovius. 106
Mælus. 104
Meredithus Hanmerus. 137.
Michael Tregurius. 131
Mosthæus. 105

P.

Palladius. 99
S. Patricius. 101
Patricius nepos S. Patricij. 104

R.

Radulphus Bristol. 120
Richardus Edgecomb eq. 133
Richardus Ledredus 124
Richardus Northalus. 127
Richardus Talbotus. 131
* *Robertus Eliphatus.* 123
Robertus Waldbæus. 124

S.

Secundinus. 103

T.

Thomas Colbius. 128
Thomas Cranlæus. 129
* *Thomas Edwardstonus.* 126
Thomas Peverellus. 127
Thomas Scropus. 133

W.

Willibrordus. 108

FINIS.

Errata sic corrige.

Pag. 13. lin. 8. pro [ejus] lege, Brendani Clonfertensis. Pag. 15. lin. 22. post [dicitur] adde, Item *Vitam S. Patricij.* Pag. 65. lin. 2. in marg. pro 4. leg. 2. Pag. 87. lin. 25. post [Felimid.] adde *qui dicebatur Feidlimid.*